

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Zacharias G rape

**Zachariæ Grapii, Philos. Et SS. Theol. D. ... Systema Novissimarum Controversiarum Seu Theologia,
Recens Controversa : IV. Tomis Absoluta**

Tomvs III. : Christologiam Recens Controversam Exhibens


Rostochii: Parchimi: Svmtibvs Georg. Lvdovici Fritschii, MDCCXXXIIX.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1023489376>

Band (Druck)

Freier  Zugang





Fg 1417.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1023489376/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1023489376/phys_0003)

DFG

Eg. ppn. nr. 1417

- 2) Pielke, Historie des vortrefflichen
gottlichen Schriften
- 3) Baumgarten usw des Longfuchs des
Königs von Sachsen
- 4) Cred. de genealogia Jesu Domini
- 5) Bode de primaria Radicum hebr.
significatione.

~~AB~~ 77

et k. S. Brigitte
F.g - 1417 b.





ZACHARIAS GRAPIUS ROSTOCHENSIS SS. THEOL. D. IUS DEMQUE
PROFESS. PUPL. ORDIN. ET AD ADEM CATHEDRAL. DIACOB VERBID. MINISTR.
Natus Anno MDCXXI D. 6. Octobr.

Ingenio solers, nulli pietate secundus,
Acris iudicio, immensi patiensque laboris,
Antiqui verique lenax, sorque recentis
Fucosique DEO dilectus **GRAPSIUS** hic est.
*Collega desideratissimi m. f.
J. G. FECHT. D.*

J. G. Mantzel sc.



ZACHARIÆ GRAPII,

PHIL. ET SS. THEOL. D. EJVSDEMQ. PROF. PVBL.
LONGE CELEBERRIMI ORDINAR.
ET V. D. M.

THEOLOGIÆ
RECENS
CONTROVERSÆ,
SEV
THEOLOGIÆ NOVISSIMARVM
CONTROVERSIARUM
TOMVS III.

CHRISTOLOGIAM
RECENS
CONTROVERSAM
EXHIBENS.

APPROBANTE REVER. FACVLTATE THEOL.

ROSTOCHII ET PARCHIMI,
SVMTIBVS GEORG. LUDOVICI FRITSCHII.
MDCCXXXIX.

ПРАВОЕ БУДНОЕ
АТОНОНТ
ЯНОЯ
КОГИОНГА
THEOLOGIE NOVISIMARUM
CONTRA HUATI
TOMVS III
CHRISTOLOGIA
COGRAPHIA
VTPRISCHI
DIOCESE TUDOVIC TUTSCHI



ברחת לי אלה לטביה:

Disp. I.

Resp.

CHRIST.

BERNH.

BÜCHER.

Gedan.

Q. I.

NVM PRÆEXTITERIT ANIMA CHRISTI
HVMANA ANTE INCARNATIONEM?

§. I.

OMNIA hominum animas præexistisse, antequam corpori
jungentur, somniarunt olim Platonici, atque Rabini
quamplurimi. Contra quos vide Aug. Steuch. de perenni
Philos. L. 9. c. 27. & 28. Calov. in Syst. Tom. 2. pag. 1082.
Marthiam Frid. Beck. in Not. ad Paraphras. Chald. lib. 1.
Chron. p. 187. Paul Slevogt in disp. Acad. disp. 22. p. 501 sq. Eduard.
Pocock in Not. ad port. Mos. c. 6. p. 103. sq. Hoornbeck de convinc.
Jud. l. 4. c. 1. p. 319. sq. Gisb. Voet. in Disp. Sel. part. 1 p. 796. & 827.
Deusing. de anim. hum. diff. 2. p. 23. aliquie. Quem eundem errorem
de præexistentia animarum & non ita pridem recoxit Sandius in pecu-
liari scripto de Orig. anim. vide Theolog. nostr. recens Controvers. con-
tin. c. 4 qv. 3. Neque animam Messiae hic exemisse Judæos, patet ex
colloquio illo, quod fingunt inter Deum & Messiae animam tempore
creationis habitum de sanandis & redimendis hominibus, conf.
Hoornbeck l. c. L 6. c. 1. p. 407. Hos duces fecutus etiam est Origenes
de omnibus omnium hominum, sic & speciatim de anima Christi do-
cens, eam longissimis intervallis corporis formationem antevertisse.
Vide de ejus sententia Huet. in Orig. l. 2. p. 51. Eadem dogmati co-
lorando pigmenta adhibuit Henr. Morus, ubi Cabballistica explicat, ut
in Mercava expos. postul. 2. 12. 13. 14. 15. quibus postea varia alia su-
perstruit, quæ transtulit Pegan. Tom. 1. Cabbal. Denud. P. 2. p. 225.
sq. ibidem p. 274. sq. insertus est Henr. Mori Catechism. Cabballist.
qui & totus hanc fabulam incrustat. Eandem etiam adornat in My-
ster. Piet. l. 1. c. 8. p. 66. Opp. Theol. Hunc sequitur Joseph. Glan-
vil in Saducism. Triumphant. part. 2. sect. 24. p. m. 164. ubi asserit,
animam Messiae jam præexistisse tempore Patriarcharum, iisque ap-

A 2

paruisse.

paruisse. Idem dogma de anima Christi pariter propugnat *Anonymous* quidam in *dissert. singulari de existentia animar.* Ann. 1672. edit. Quem refutat *B. Dn. D. Bebel in Exercitat. adv. Præexistentiam animar. c. 3. p. 126. seqq.* Conf. quoque circa materiam hanc celeberrimi quondam Theologi *B. Dn. D. Bartoldi Botsacci, Soceri nostri secundi ehen desideratissimi, disp. doctissim. de Origine Animæ Christi, Hafnia Anno 1694. bab.* De Poireti sententia egimus in *Theologia nostra rec. controv. cap. 2. qu. 20.* Recentissime dogma hocce in Anglia recoquere voluit *Eduardus Fowler, Claudiocestiensis Episcopus* in tractatu anglicano sub titulo: *A discursu of the descent of the Man Christ Jesus from heaven toget her With his ascension to heaven again. From John. XVI, 28.* Evidet auctor hicce præexistentiam omnium humanae animarum non videtur statuere velle: sed potius *p. m. 34. seq.* cum alio quodam auctore non præexistente credente, in aliis animabus non suisse eandem rationem præexistentiæ, quæ in anima Christi locum habuerit, sentire vult; attamen mox *p. 41. sq.* conjecturam quandam profert de privilegio præexistentiæ forte non necessario soli Animæ Messiae competente; sed & de præexistente simul ordine quodam Angelorum ejusdem naturæ, cum animabus humânis, diverorum ab his tantum in eo, quod non sint destinati terrestribus corporibus, quibus custodia suæ propriæ speciei in terra specialiter fuerit commissa, ob naturalem maxime affectum in eam. Unde cum declarasset DEUS Pater benignum suum consilium, ut aliquis horum susciperet redemtionem fratrum suorum apostatarum in omnibus excepto peccato illis similis futurus, Benedicta hæc anima ex eo ordine & caput ejus mox cum summa alacritate se ipsam obtulerit ad suscipiendum hoc munus secundum *Pf. XL, 8. 9. & Hebr. X, 5.* & antiquam traditionem Iudeorum, consequenter uniretur λόγῳ, ut sic ad magnum & superangelicum conatum hunc apta redderetur. Verum enimvero mox addit *Dn. Fowler. p. m. 43. sq.* *I Should incline tot this as ne unreasonable supposition: but i cannot conceal it that i vwould not for sake the most obvious Meaning of John 1, 10. compard vvitb Col. I, 15 16. 17. for the sake thereof. Which is that our Saviour, according to his humane nature, was the First of Gods creation and united to Gods eternal son before he created the Angels themselves. And Without*

Without doubt, it may well be supposed that this glorious united Spirit might be perfectly of the same Nature with our Souls; and that he was so to have properly the denomination of an Man. Sensus hic est. Proprenderem ferme in hypothesin hanc ratione non destitutam; sed dissimilare nequeo, quod deserere nolim maxime omnium sensum verborum, Job. I, 10. collat. cum Col. I, 15. 16. 17. qui est, Salvatorem nostrum secundum humanam suam naturam fuisse primum creaturarum DEI, atque unum aeterno DEI filio, antequam ipse Angelos crearet. Et sine dubio licet supponere, gloriosum hunc spiritum unitum perfecte ejusdem naturae esse cum animabus nostris, & sic propriissime hominis appellationem habere. Tandem autem per totum hoc scriptum dogma hocce defendere conatur: Animam humanam Christi in incarnatione ex virgine descendisse localiter de celo, in quo ante fuerit unita aeterno DEI Filio, & creata ad minimum ante creationem terra. Refutaverat hypothesin hancce Episcopi hujus in Anglia Dn. Wilb. Sherlock in scripto Lond. Anno 1706. edito sub titulo: *The Scripture Proofs of our Saviour's Divinity explained and vindicated. With an Examination of a late Discourse concerning the Descent of the Man Christ Jesus from Heaven together With his ascension to heaven again. cap. 7.* tot. p. m. 219. sqq. Adversus quem vero Dn. Fouler hypothesin suam defendit in scripto Lond. Ao. 1706. edito: *reflexions upon the late Examination of the descent of the discourse of the Man-Christ Jesus from Heaven together With his ascension tho heaven again.* Dn. Sherlock autem controversia huic est immortuus. Post eum autem in Belgio non ita pridem Fouleri sententiam quoque refutavit Celeberr. Dn. Jo. Marekius in dissert. Academic. contra praexistentiam animae Christi in celis ante corporis ejus ortum in terris ex Maria virginie, assertam nuper ab Eduardo Claudioestrienſ in Anglia Episcopo. Lugdun. Batav. Anno 1710. edit. Fouleri sententiam defendere quoque voluit Robertus Flaminius, Pastor olim in Belgio, nunc autem Londonensis in Christologia l. 3. c. 5. Quem autem Dn. Marekius l. c. n. 19. itidem refutavit.

§. II. Praesupponimus nos: (1) Sermonem esse non de praexistentia Filii DEI secundum *Divinam Naturam*, quam lubenter omnino concedimus; sed de praexistentia ejusdem secundum *humanam natu-*

naturam. (2) Non queri hac vice de integra humana Christi natura sed tantum de altera ejus parte, anima scilicet: num illa ante corpus praextiterit? (3) Sermonem esse de præexistētia non seminali, quam Orthodoxi statuunt, statuentes, Christum esse ex Pateribus secundum carnem Rom. IX, 5. adeoque & secundum animam, et si non secundum peccaminosam propagationem; sed reali, quam vocamus eam, qua anima Christi seorsim & extra causas suas evoluta existit, sicut Angelus aliquis a DEO creatus existit, & operatur. Quibus presuppositis dicimus: *Anima Christi non præextitit ante corporis ortum creatuante creationem terræ.* Prob. (1) quia de hoc dogmate non nisi unice ex Sacro Codice judicari potest. Jam vero ille nullibi vel ulla litera indicat, animam Christi ita præextitisse, aut creatam esse ante creationem mundi. Prob. (2) quia DEUS in principio dicitur creasse cœlum & terram Gen. I, 1. non ergo ante cœlum & terram aliquid potuit creatum fuisse, atque sic nec anima Messiae. Unde & Phrasis Scripturæ omne antemundanum vulgo pro aeterno haberi solet. Cum ergo jam anima hæc non possit dici aeterna, nec ante mundum potuit dici fuisse, multo minus creata. (3) Quia ἀόγα, qui ab aeterno fuit, in tempore dicitur factus caro Job. I, 14. Gal. IV, 4. 1. Tim. III, 16. & quidem ita, quemadmodum & pueri sanguinis & carnis sunt participes Hebr. II, 14. Quemadmodum nunc hi ita sanguinis & carnis sunt participes, ut a parentibus non saltem corpus; sed & animam habeant, eorumque animæ non præexistant, non dissidente ipso Episcopo Anglicano; ita nunc etiam sic in tempore ἀόγα factus est homo, ut a matre simul etiam animam acceperit, æque ut & corpus ab eadem accepit. Atque sic anima ejus non præextitit. (4) Christus est Filius Mariæ, E. Maria ejus mater. Non esset autem mater, si animam ei non communicasset. Sola enim suppeditatio materiae, ut forinsecus ab alia & diversa causa anima infundatur, & communiceatur, vel applicetur, non est generatio. Sicut is, qui lignum tantum adjicit igni, ignem non generat. Et generatio est effectus non moralis, sed physicus. Conf. B. Dn. D. Scherzer, in Breviar. Hülsemann. Extens. cap. 7. tbes. 10. p. m. 376. sq. (5) Quia Christus dicitur fructus ventris Mariæ Luc. I, 42. Omnis autem fructus communis ratione essentiam suam habet ab eo, cuius dicitur fructus. Idem omnino de

de Christo vi allegati dicti dicendum. At vero essentiam Divinæ naturæ ex Maria non habuit, neque ejus respectu fructus ventris dicitur; sed respectu humanitatis, & hujus essentiam ex Maria haber, nunquam alias ejus ventris fructus dicendus. Essentia autem humanitatis non solum in corpore consistit, sed & vel maxime in anima, urytate quæ corpus informare debet. Si ergo Christus nunc fructus ventris Mariæ, omnino quoque animam ab illa habuit, quæ per consequens sic non præexit. Ullusne fructus, in quantum fructus, quicquam habet, nisi ex eo, cuius est fructus? (6) Quia Filius DEI dicitur ἀριστερὸς ἐν ψυχῇ Gal. IV, 4. Teύρεν autem ille est, qui id sit, quod ante non erat. Fiebat autem Filius DEI, interprete Job. I, 14 σὰρξ caro i. e. verus homo corpore & anima constans. Hinc argumentum: *Quia Filius DEI, dum factus est caro, assumpsit, assumpsit en ψυχὴν.* Atqui non corpus tantum, sed & animam Filius DEI, dum factus est caro, assumpsit. *E. non corpus tantum, sed & animam Filius DEI, dum factus est caro, assumpsit.* Ergo non corpus tantum, sed & animam assumpsit en ψυχὴν. Major inde constat, quia Filius DEI assumendo carnem factus est id, quod ante non erat, isque factus est non partim ex muliere, partim aliunde, aut ex nihilo; sed sine ulla restrictione (quam nec alibi Scriptura docet) factus est ex muliere. Minorem confirmat Apostolus Hebr. II, 14. E. anima Christi non præexit. Conf. hic quoque B. Dn. D. Boisac. l. c. §. 23. sq. (7) Anima illa præexistens aut unita fuit cum λόγῳ aut non. Si hoc, separatim exitit, quod absurdum: Si illud, unio personalis jam ante incarnationem facta fuisset, quod contra omnem Scripturam, quæ unionem personalem in incarnatione & in tempore factam fuisse satis innuit. (8) Si Christi anima jam ante conditum mundum cum λόγῳ unita fuisset, sequeretur, Christum jam ante conditum mundum & ante Patres fuisse Semihominem, & deinde in tempore rursus semihominem fuisse factum. Utrumque est absurdum. Prius est contra Rom. IX, 5. Posterioris contra haec tenus jam asserta & probata. (9) Quia sententia contraria omnino Arianismi est rea. Sic namque propugnatores ejusdem Christi carnem αὐλούσσον sine anima in ipsis narritatibus adscriperunt. Ita namque Epiphanius b̄eres. 69.

Tom. I.

Tom. I Opp. p. m. 743. ἐ μόνον δὲ τέτο οὐδὲ καὶ σύγχρονοι θυγατρεῖς εἰληφένει. Neque hoc errore contenti negant insuper humana illum anima prædicum fuisse. Et pag. 771. Sed hoc isti, qui relitta via contrarias ad semitas deflexerunt, ignorare videntur, DEI Filium non modo carnem, sed & animam, & mentem, atque omnia denique, quæ sunt hominis propria, suscepisse præter peccatum: neque hic e virili semine, sed ex Virgine Maria per Spiritum S. At isti negant animam illam assumisse &c. Nec tacuit illud D. Augustinus De Hæres. ad Quod vult DEV Mber. 49. Tom. 6. Opp. p. m. 24. in eo autem, inquiens, quod Christum sine anima solam carnem suscepisse arbitrantur, minus noti sunt. Nec adversus eos ab aliquo inveni de hac re aliquando fuisse certatum; Sed hoc verum esse, & Epiphanius non tacuit, & ego ex eorum quibusdam scriptis & colloctionibus certissime comperi. Prolixius hoc argumentum deduxit Dn. Jo. March L. c. num. 13.

§. III. Objec. (I) Locus Job. XVI, 28. Quibuscum & conseruntur reliqua loca, in quibus Christus de cœlo descendisse dicitur Job. VI, 33. v. 38. 41. sqq c. I, 27. 30. c. III, 31. Resp. in allegatis dictis nullibi sermo est de anima Christi, sed de divina Christi natura: & secundum illam præexistisse lubenter concedimus. Fuit enim sic Verbum apud Patrem Job. I, 1. Non autem anima, hanc enim ut demum assumeret, in mundum venit, veniens, ut homo fieret v. 14. adeoque & animam humanam assumeret, quæ potissima hominis pars. Ut adeo omnia illa loca, quæ de præexistentia filii DEI ante incarnationem loquuntur, de Divina ipsius natura ab aeterno præexistente una cum Patre & Spiritu S. intelligenda sint; non vero de anima ejusdem humana. Excip. Dn. Fowler in discursu suo p. 23 sq. Revera quomodo potuit persona secunda Trinitatis propriæ descendisse de Cœlo, vel personaliter descendisse, qui non potius per momentum abesse a cœlo magis quam Pater, a quo separari nequit? Nec potuit ob hanc rationem dici prodiisse a Patre, nisi per necessariam emanationem, ut lumen a sole. Legimus, fareor, de DEI descensu super montem Sinai; sed hic ejus descensus communiter habetur factus per gloriosos ejus Angelos. Et uti DEUS dicitur locutus ad Mosen & Filios Israel, fatur id ipse fecisse de cœlo, quamvis, quod non est, ut dicam totus mundus

88) o (89

9

mundus ejus præsentia repleatur. *Resp.* (1) Non ita Christus secundum divinam naturam descendit de celo, ut non etiam secundum eandem in celo simul manferit, quippe descensus hic non fuit localis, consistens in mutatione Loci physica. Cumque nulla nos cogat necessitas, literam ut hic deferamus, merito in sensu proprio & recepto, licet non physico, tamen grammatico, cum plerisque interpretibus, *Augustino, Chrysostomo, Theophylacto, Beda, Ruberto* aliisque explicamus. Et quamvis descendens in assumta carne his in terris fuerit, vere tamen etiam in celo fuit, nee per momentum a Patre suo celesti absuit. In his terris fuit quantum ad naturæ humanae proprietatem, & visibilem localem præsentiam: vere tamen & simul in celo fuit, & secundum suam divinam naturam per *actum naturale*; & secundum humanam quoque naturam per *actum personale*, quantum ad Majestatis coelestis & divinæ communionem, qua in se habitantem totam Divinitatis plenitudinem habebat *Coloss. II, 9.* & quantum ad illocalem præsentiam vi unionis hypostaticæ, quia una eademque naturæ humanae & divina est hypostasis. Vide Systemata passim. (2) Utique etiam Filius DEI per necessariam emanationem prodire potest dici a Patre suo, seu ob eodem generari, quam generationem descensus hicce Filii DEI plane non tollit. Quippe generationis hujus consequens est missio in carnem, quam ipsa incarnatio excipit, omnia sat clare definiente Paulo *Gal. IV, 4.* ut Filius DEI, generatus scil. a Patre suo, initio missus, mox natus de muliere dicitur. Quam optimè ergo omnia conciliari poterunt. (3) Deum etiam quoad essentiam non descendisse super montem Sinai, aut alia occasione, falsum est, & nititur hic error falsa illa hypothesi, quasi gradus præsentiae divinæ solis tantum operationibus, non vero etiam propinquiori adessentia ratione distingvantur. Contrarium autem Nostrates in Systematis ubivis evincunt, vide, ut alios hac vice taceam, *B. Calov in System. T. 2. p 630. sqq. Objec.* (II) Locus *Coloss. I, 15. 16. 17.* ibi dici Christum juxta humanam naturam *primum creaturarum*, atque unitum æterno DEI Filio, antequam ipse Angelos crearet. *Resp.* Falsissimum est, in hoc loco sermonem esse de Christo secundum *humoram naturam*. Quin potius hic sermo est de eo secundum *Divinam naturam*, & quantum ab æterno a Patre fuit genitus. Neque in hoc loco Christus vocatur

TOM. III.

B

catur

catur creatura. *Primogenitus* quidem *omnis creaturæ* vocatur; At vero nomen id non infert positionem plurium ejusdem generis, sed dicit negationem plurium antegenitorum, ut adeo Christus & primogenitus pariter & unigenitus sit. Plura de hoc dicto habent interpres. Conf. & in illad plane *solidissimam & doctiss.* Disput. inaug. Maxime Rev. Dn. D. Aep. ni, Fautoris ac Amici nostri jam ab Annis Academicis longe *conjunctionissimi*. Et orthodoxi Ecclesiæ primitivæ Patres sic dictum hoc explicarunt non de humana, sed divina Christi natura. Bene *A banthus in exposit.* Fidei Tom. 1. opp. p. m. 241. sq. *Dicit eum Paulus primogenitum omnis creaturæ.* Verum cum illum *Primogenitum* dicit, non esse creatum ostendit, sed fænum Patris; peregrinum enim est alienum a Trinitate, sed dicitur creatura, quoniam *omnia creata sunt a Patre per Filium, & solus Filius ex patre genitus ab aeterno est,* ideoque *primogenitus est omnis Creaturæ DEUS, verbum, immutabilis ex immutabili.* Cum nunc ergo Christus juxta animam non possit dici ab aeterno ex essentia Patris genitus Patri $\delta\mu\sigma\tau\circ\sigma$, hinc frustra dictum hocce de praexistentia animæ Christi explicatur, quod de praexistentia divinæ Ejusdem naturæ ab aeterno agit. Quam lubenter contra Arianos & Neo-Arianos concedimus. Objic. (III) Christum solam saltem carnem assumisse ex Maria, *Joh. I, 14.* *Pf. XL, 7.* quem locum ita explicat Apostolus *Hebr. X, 5.* *Corpus aptasti mihi.* Resp. Licet quidem vocabulum *carnis* in S. Codice interdum occurrat pro altera hominis parte, corpore scilicet; attamen & illud novimus, sepius occurrere simpliciter pro toto homine, non saltem corpore, sed & anima constante. Vide loca clarissima *Gen. VI, 12. 13. J. f. XL, 5. Joel. III, 1. Marth. XXIV, 22. Rom. III, 20. &c.* Vid. Flacum in Clive Script. S. voce *carnis* p. m. 106. Et hoc significatu iam vocabulum *carnis* accipiendum esse *Joh. I, 14.* satis ex locis aliis patet, quando v. gr. expresse dicitur *factus homo Phil. II, 7.* Jam vero homo non constat solo corpore, sed & anima; item quando dicitur *carnis particeps factus ut pueri, Hebr. II, 14.* Puerorum autem caro non est solum corpus, sed & dicit animam. Sic & natus dicitur ex muliere *Gal. IV, 4.* Nascitur autem integer homo. Adde & argumenta, quibus jam thesin nostram probavimus, que itidem evincent, & h. l. vocabulum *carnis* non aliter accipi posse. Locum ex

Psalmo

¶ ¶ ¶

Psalmus quod attinet, in fonte quidem sic non legitur, ubi potius habetur: *aures mihi perfodisti*. LXX. Interpp. autem reddiderunt *corpus aptasti mibi*. Quam versionem quoque retinet *Apostolus I c.* respiciendo scil. ad sensum in *Psalmu*, in quo de sacrificio sermo est, quod mortari & occidi debet. *conf. hic B. Seb. Schmidt. in Comment. in Ep. ad Hebreos. ad l. c. p. m. 1051.* Jam vero ex eo, quod *Messias* corpus habuerit aptatum ad sacrificium, corpus, quod mori & occidi & crucifigi, quamvis ex libera dispensatione, potuit, non sequitur, corpus hoc anima fuisse destitutum. Unius enim positio non est alterius exclusio. *Objic. (IV)* Christum intercessisse jam ante Nativitatem suam. *Job XXXIII, 24. Zach 1, 12.* idque non nisi anima *Eius* competere posse. *Resp.* Ipsa persona simplex intercedere sic pro nobis potuit absque anima, imprimis cum intercessio haec non *δελικτης* sed *θεοπρεπως* sit intelligenda. *Objic. (V)* Apparitiones Christi in V. T. fuisse factas, præexistisse ergo jam tum animam. *Resp.* (1) Christus in V. T. apparet non cum anima sua præexistente unitus fuit; anima enim est spiritus, adeoque invisibilis, sique ita non visus fuit Christus; sed apparuit in Vet. Test. in assumto quodam corpore visibili. Quod si vero ex eo jam argumentari velimus, sequitur, & corpus Christi præexistisse, quod tamen *Dn. Fowler* non concedet, nisi totam incarnationem velit dubiam reddere. (2) Nec sequitur, Christus in V. T. apparet; E. habuit animam. Nam & Spiritus S. in N. T. apparuit sub specie Columbina *Matth. III.* Nec tamen habuit animam. *Objic. (VI)* Commendari hac hypothesi amorem Christi erga nos. Sic enim scribit *Dn. Fowler*: *Non debemus hoc ferre, ut nostra obligatio in Jesum Hominem vel tantillum minuatur, de honore illi debito quidquam detrahatur.* Ponere autem, quod ipse ut homo non extiterit, antequam esset in hoc mundo, neque deserit e caelo ut homo, plurimum minuit admirandam ejus abnegationem sui pro nobis, & consequenter amorem ejus. *Resp.* Quomodo per assertiōnem orthodoxam, Scripturæ S. per omnia conformem minuatur obligatio nostra in Jesum hominem, & per contrariam sententiam commendetur amor Christi, nos quidem videre nondum possumus. Imo putaverimus potius, per dogma illud de præexistētia animæ Christi minui amorem ejus & honorem, minui quoque obligationem nostram omneque solatium. Ecquid enim hoc? quod in plenitudine

temporis Christus non homo, sed saltem semihomo fuerit factus, animam suam non habuerit a matre, sive non talis homo factus, ac nos, neque nobis per omnia, excepto licei peccato, similis factus. Contra major illucescit amor Christi erga nos, si statuamus, ita nos Christum dilexisse, ut non saltem corpus humanum, sed & animam humanam in utero materno assumere voluerit, sic dignatus genus nostrum. Ex quo simul infinita oriuntur solatia, magna quoque nostri obligatio. *Obje.* (VII) Sententiam illam de præexistentia animæ Christi nisi autoritate Judæorum *Sap.* VIII, 19. (quæ de Salomone dicta esse putat *Fouler*) Provocatur itidem ad traditionem ex libr. *Peſika*, item ad Patres pariter & ad Reformatos nonnullos Theologos. *Resp.* (1) in t. c. *Sap.* de vero Salomone sermonem esse, falsum est. Alia de dicto hoc ipso jam egimus supra in *Tb. Contr. contin.* p. 125 (2) Traditiones ineptæ ac fabulosæ Judæorum, item deliquia Patrum, privataque Theologorum sententiæ, ubi analogiam fidei habent contradicentem, non saltem nihil probant, sed statim etiam rejiciuntur. Theologos Reformatos quod concernit, de iis vid. *Dn. March. l. c. n. 18.*

Qu. II.

NUM STUPENDUM SIT MIRACULUM NATIVITATIS CHRISTI EX SOLA MATRE?

§. I.

Plane nihil singularis hic agnoscit Medicus ille Londinenis *Bernardus Connor* in *Evangelio Medici seu Medicina Mystica* art. 11. p. m. 74. ubi inter alia ita: *Si quis secum rem rite toram perpendet, videbit forsitan, quod non magis stupendum est, quod homo ex sola muliere generetur sine Viri commercio, quam quod ex maris & feminee congreſſu formetur.* Refutavit asserta hæc periculofissima *Magnif.* *Dn. D. Mich. Færtib* in *Exercitat. Theol. de æterna & temporali Generatione Messie.* Jen Anno 1707. bab. §. 31. sqq p. 20. sqq

§. II. Status controversiae facile iam patet, statim ergo thesis nostram ponimus, dicentes: *Maxime stupendum ut que miraculum fuit nativitas Christi ex sola muliere matre, & non eque stupendum, quando homo ex maris & feminee congressu formatur.* Prob. (1) Quia expresse ut maxime stupendum miraculum nativitas hæcce ponitur,

ponitur, cum in signum datur *Jes. VII, 14.* quod signum clarissime maxime stupendi miraculi instar fuit habendum, ut satis ex *præced v. 11.* & 12. videre est. (2) Quia & Maria Mater ut maxime stupendum miraculum hoc agnoscit, & ipse Angelus ut tale confirmavit *Luc. I, 34.* 35. 37. (3) Quia & alibi a viris DEI ut maxime stupendum miraculum Nativitas hæcce depraedatur. *Jerem. XXXI, 22.* 1. *Tim. III, 15.* (4) Quia hæc nativitas quoque spectat ad Evangelium, quod & ipsi Angeli introspicere cupiunt. 1. *Petr. I, 12.* collat. cum *Luc. II, 9.* sqq. (5) Quia fetus ex congressu maris ac sceminiæ non est miraculum stupendum, quia vi benedictionis divine fit, adeoque ordinarie, ordine & cursu naturæ. Alias enim omnia in natura forent extraordinaria. Adeoque jam cum ordinario hocce nativitas hæcce Christi comparari nequit. (6) Quia istiusmodi quid nunquam fuit factum, quamdiu mundus stetit; neque futurum erit. Quare & ab omnibus pro miraculo maxime stupendo semper habitum fuit, v. g. a Josepho Sponso Mariæ *Mattb. I, 20.* 21. 22. 23. 24. 25. ab Elisabetha Spiritu Domini plena *Luc. I, 41.* 42. 43. 45. & a reliquis hominibus omnibus *Luc. II, 18.* imo & in hunc usque diem.

§. III. Objic. (I) Concursum Viri esse tantum occasionem, cur ipse supremus rerum omnium parens generet, qui est immediata, imo unica utriusque Phænomeni, & effectuum omnium causa. Resp. Hypothesin hanc, quæ & *Malebrancii* est, jam supra in Cap. de Providentia refutavimus. Hinc, quæ ibi dicta sunt, hic saltem repeti poterunt. Speciatim autem, quod asserta de concursu Viri in opere generationis concernit, aperte ea contrariantur benedictioni divinæ *Gen. I, 20.* & inexistentia sobolis in viro *Pf. CXXXII, 11.* *Deut. XXIX,* 4. 11. 18. 53. *Gen. XXXV, 11.* &c. Objic. (II) Generationem esse quædam flaminum in semine muliebri contentorum debitam expansionem & rarefactionem; properea solum DEum, tanquam supremum motorem ex irruentis corporis occasione moventem illam extensionem & rarefactionem efficere. Atque hinc nihil stupendi esse, si etiam sine viro id fiat. Resp. Absurda omnia, contrariantur enim Benedictioni divinæ primæque institutioni naturæ, juxta quam DEus voluit humanum genus propagari, non ex sola muliere, sed & ex Viro, cuius adeo creatio videretur supervacanea fuisse, imo & alias Vir vix nomen parentis mereretur.

B 3

Qu.

Qu. III.

NUM EX UNIONE DUARUM NATURARUM
IN CHRISTO ORTA SIT ALIA PERSONA?

§. II.

Ita docent Theologi Cartesiant, speciatim Christoph Wittich, in *Theolog. Pacif.* §. 228. p. m. 199. ubi sequentia profert: *Hoc (scil. quod Natura divina subsistat) non recte dicitur; nam non natura, sed persona subsistit.* Igitur post unionem non recte dicitur *natura divina subsistere; sed potius persona Dei & Christi subsistit, habens utramque naturam.* Et in *append. qu. 155.* ita loquitur: *Post unionem naturarum duarum in Christo non λόγος dicitur persona, sed Dei & Christi est una persona.* Wittichum defendit Petrus Allinga in *Erotem Illustr.* Decad. 10. Erot. 10. p. m. 321. seqq. Contra vero vide Petr. van Mastricht in *Novitat. Cartesianar.* Gangr. p. m. 524. seqq. & ex Nostratis B. Dn. D. Jo. Ad. Osiandr. in *Colleg. Considerat.* c. 18. tb. 2. p. 345. seqq.

§. II. Prænotamus nos (1) non queri: num ex unione duarum naturarum in Christo una facta sit persona, quod lubenter concedimus; sed num alia persona facta fuerit, quam λόγος est? (2) non esse sermonem de alia persona in alio quodam statu. Nam & sic facile concedimus, λόγοv fuisse ante unionem hanc personam simplicem, nunc vero post unionem Christum esse personam compositam; sed de alia persona in se suaque essentia, ut natura divina non amplius possit dici subsistere. Quibus prænotatis dicimus: *Ex unione naturarum in Christo non ita orta est alia persona, ut natura divina non amplius possit dici subsistere.* Prob. (1) ex Scripturaria Unionis hujus descriptio-ne *Job. I. 14.* Si vero λόγος factus est caro, h. e. particeps factus carnis & sanguinis, *Hebr. II., 14.* non alia facta est persona ex λόγῳ & carne; sed illa ipsa, quæ verbum & caro, licet jam in unione sit. Et si habitavit in nobis, unitus constans ex verbo & carne fuit habitans: Sitrandem videndo carnem vidimus gloriam quasi unigeniti a Patre, consequens est, ut una est gloria carnis & unigeniti, ita unam esse, & non aliam personam. (2) Quia verbum factum est caro non per sub-sistentiæ suæ abolitionem; sed per unionem, per quam sub-sistentiam suam

suam communicavit carni. E. & utique post unionem Natura divina poterit dici subsistere. (3) Quia alias revera in Christo duæ erunt personæ, nempe una, quæ competit $\lambda\sigma\gamma\omega$, sive Persona Filii DEI, & altera alia quædam, quæ nata ex Unione.

§. III. Objicitur potissimum hocce seu fundamentum assertio-nis Cartesianæ, subsistentiam nimirum & personalitatem consi-stere in sola non coniunctione cum alio; Quia proinde non coniunctio-ne posita ponatur persona, sublata tollatur. Reff. Hypothesis illa falsa est, ut pater (1) ex Mysterio SS. Trinitatis. Hic Natura divina sive essentia contradicitur, ad tres personas considerata, est natura intelligens substantia, nec enim ulla alia unita, non tamen poterit dici persona, cum sic quatuor personæ forent in Trinitate. (2) ex sana ratione & Philosophia, in qua subsistentia omnino altera describitur. Vide Systemata & Compendia Metaphysica passim. Pluribus hæc omnia deducit B. Osiander L. c. tb. I. p. 338. seqq.

Qu. IV.

NUM DUPLEX SIT IN CHRISTO UNIO PERSONALIS?

§. I.

Olim Beza duplēm in Christo statuit unionem personalem, alteram corporis & animæ, alteram Divinæ & humanae Naturæ. Quem notavit B. Dn. D. Affelmann. noster in Syn-tagm. part. I. p. m. 121. Erroris hujus Christophorum Wutichium quoque incusavit Maresius in indic. Conirov. qu. 56. Contra quem vero se defendit Wutichius in Append. ad Theol. Pacif. pag. m. 101. Sed nefcio, an quis Wutichium a suspitione hac liberum pronuncia-verit, qui legerit verba ejus in Theol. Pacif. c. 16 §. 231 p. m. 203 ubi expresse ita loquitur: *Unio hypostatica & personalis utique est dicen-da Unio inter duo, quæ sic unita constituunt personam. At qui in me animam & corpus est talis unio, qua sit, ut sic unita constituant per-sonam humanam. Ergone neganda erit esse hypostatica & personalis, quia naturalis est?*

§. II. Prænotamus, non quæri de duplii quadam Unione in Christo

Christo in genere, quam libenter concedimus, alteram nempe *naturalem*, quae est inter corpus & animam, alteram *personalem*, quae est inter divinam & humanam naturam personaliter unitam; sed in specie de duplice quadam *unione personali*. (2) Sermonem esse de Unione personali, non *vulgari*, ut R. Dn. L. Georg. Meier. in *Regina Ministeria Part. Gener. 3. theorem. 3. q. 3 §. 3. p. m. 84.* eam vocat, quando scilicet in homine anima & corpus uniuntur ad unum *ὑπόσημον* constituendum, ubi unio *essentialis* ac *personalis* (alii vocant *suppositalem*) juxta eum concurrere dicitur: Sed *singulari* ac *proportionatae* tali, ubi duas nature, divina & humana in offendendo (non in subsistendo) complectae intime concurrunt ad constituendam unam Personam. Quibus prænotatis dicimus: *Non duplex est in Christo Unio personalis; sed tantum una:* Prob. (1) Quia Scriptura S. unius saltem unionis personalis mentionem facit, in qua scilicet divina & humana natura uniuntur ad unam personam *Job. I, 4. 1. Tim. III, 15. Hebr. II, 14.* non vero etiam alterius ejusdem unionis personalis meminit. (2) Quia ubi duplex unio personalis, ibi etiam duplex persona. An vero cum in Christo non duplex sit persona, neque duplex unio personalis locum habere poterit. (3) Quia unio illa naturalis inter animam & corpus in Christo non est facta ad personam, quippe propria personalitate ac suppositalitate humana natura fuit destituta. E. ea minus comode quoque personalis vocari poterit. Cum omnis unio definiatur & denominetur a termino *ἐνορῶν*, in quo unita convenientur.

§. III. *Objic.* (1) Ubi unio est inter duo, ibi unionem esse hypostaticam; at vero inter corpus ac animam in Christo esse unionem inter duo. E. & esse unionem hypostaticam. *Resp.* (1) Major, ubi absolute sumitur, negatur. Nam & inter tres Personas in Deitate est unio, quæ tamen non vocatur *personalis*, & inter animam fidelis & SS. Trinitatem datur unio, nec tamen est *personalis*, ut exempla plurima alia raseamus, in quibus sic *unio personalis* locum habere nequit, cum sit maxime singularis, nec alia exempla ejusdem dentur, nisi unice in Christo. (2) Limitando: Ubi unio est inter duas naturas, alteram per se subsistentem, alteram *ὑπόσηματον*, ad unam personam compositam, ibi unio est hypostatica; sed sic neg. *Minor.* Nam unio illa, quæ inter animam est & corpus, talis in Christo non est. *Objic.* (II) *Unio-*
nem

nem illam inter corpus & animam humanam fieri ad constituendam Disp. I. personam humanam. Rectissime ergo dici personalem. *Resp.* Si in *Resp.* alias hominibus unio illa inter corpus & animam sic vocatur, sit illud JOHAN. saltem, ut jam in *preced.* § ex B. Dn. L. Meiero noravimus, in sensu CHRIST. *vulgari*, a quo vero ad plane *singularem*, qualis hic in Christo est, BIEL. N. V. C. imprimis & cum unio haec anima & corporis in Christo non *Brunsv.* fiat ad constituendam personam humanam, cum Humana Christi Natura non sit Persona, sed *āvnośatos*.

Qu. V.

NUM UNIO PERSONALIS CONSISTAT IN
RELATIONE, AUT CONSENSU?

§. I.

Theologi Cartesiani principia Philosophica Renati Cartesii ad Theologica applicantes, speciarim quoque ad doctrinam illam de Unione personali in Christo, varia absurdia hic introducere conati sunt. *Christophorus Wittich. in Theol. Pacif.* § 226. & 229. exinde, quod substantiam nihil positivi addere substantiae singulari deprehendat, concludit, neque sustentatione personali opus esse ad humanam naturam Christi asserendam; sed sufficere generalis providentiae conservationem divinam, per quam ut omnes res in eo, quo sunt statu, ita & natura Christi humana in coniunctione cum τῷ λόγῳ permaneat. Modum autem Unionis hujus determinare noluit. Quem tamen exprimere conatus est *Francisco Burmann. l. 5. Syntagma. Theol. cap. 8. §. 14.* communicantur, inquiens, *duæ substantiæ, atque coalescent in unam personam, ubi ita conjunguntur, ut actiones & passiones viriusque toti composito communis nomine appellato attribuantur.* Per quod nihil quidem positivi illis substantiis superadditur, sed tantum relatio, atque inde denominatio aliqua per ordinationem seu divinam, seu humanam. Mox autem *cap. 9.* eam ab operatione divinæ naturæ per humanam tanquam per *instrumentum* describit, atque cum nube & voce aërea, quæ præsentia divinæ quondam Symbola fuere, comparat. Quæ eadem etiam descriptio est *Thomæ Bonartis Nordtani Angli in Concordia scientie*

TOM. III.

C

scientie

scientie cum fide l. 4. p. 223. sqq. Pariter & personatus ille *Liberius de S. Amore Arminianus*, *Cartesianis* tamen principiis imbutus, in Epist. Theol. Unionis hypotheticae modum Mathematicae se demonstraturum promittit, & proinde Ep. I. Postulatum VII. tale proponit: *Duplici tantum modo Spiritus possunt inter se personaliter uniri, vel si omnes suas cogitationes sibi invicem manifestas faciant, adeo, ut alter alterius sequatur determinationes, vel si inter eos conveniat unicum totum constituere. & velint sibi invicem utriusque proprietates, actiones & passiones tribui.* Hinc *Proposit. IV.* ita pergit: *DEUS non potest aliter uniri cum Spiritu creato, quam consensu unicum totum componendi cum eo, adeo, ut utriusque proprietates & actiones & creaturae passiones toti composito tribui possint.* Adeoque quod relationem vocat *Burmannus*, *consensum* appellat *Liberius*, quod *operationem & cooperationem instrumentalem Burmannus & Bonartes, determinationem & sequelam Libe ius*, in re ipsa parum discordes. Niuntur enim omnia principiis *Cartesianis*. Sic namque *Cartesius* distinguit mentem a corpore, *Princip. I. Artic. 8.* ut nihil in illa agnoscatur, nisi solam *cogitationem*, i. e. ut illam totam omnemque naturam & essentiam animæ in mera cogitatione collocet, quæ & de *Angelis* & de *DEO* asseruntur. Porro cum *Cartesius* in cogitatione nihil inveniret, quod extensionem implicaret, ullamve relationem ad corpus, aut determinationem loci vel ubi, ut *Philosophis* dici solet, ut quæ corporum tantum sit affectio, promptam suppeditavit illationem, quod nulla loci vel $\tau\zeta$. Ubi differentia in mentes proprie eadat, illæque revera nusquam sint, nisi quatenus extra se operantur, & sic neque *DEUS* in corpore humano. Denique cum Spiritus seu mens non est nisi cogitatio, utique neque mens ad mentem, neque *DEUS* ad animam humanam alter, quam cogitatione seu volitione & consensu referri poterit. Ita *relatio Burmanniana* ipissimum est *consensus Liberii, & cooperationis instrumentalis* ipissimum obsequium voluntatis alterius determinationem sequentis. Quæ omnia ashuc ulterius deduxit, & perquam solidissime refutavit *B. Dn. D. Just. Christoph Schoemerus noster in Disp. de different. Union. personal. & Myst. Anno 1684.* heic Rostockii hab. sect. 3. §. 5. sq. Vide & *B. Dn. D. Jo. Ad. Osiandri in Colleg. Confiderat. cap. 18. thes. 3. p. 355. sqq.* Item Maxime Rever.

III MOT. Dn.

Dn. D. Ernest. Silom. Cypriani Animadversion. ad Liberii de S. Amore
Epistolas Helmstad Praesid. Dn. D. Jo. Andr. Schmidt Ao. 1699. ventilat.
ad Epistol. I. confer. & sed suis hypothesibus indulgentem, Petr. van
Maastricht in Novitar Cartes. Gangrena scđ. poster. c. 34 p. m. 525. sqq.

§. II. Prænotamus nos (1) sermonem esse de Unione quadam
personal non *impropte*, sed *proprie* sive dicta. (2) Sermonem esse de
Unione personali in *sensu Biblico* & *Orthodoxo*, non *heterodoxo* ex-
pliçanda. (3) Sermonem esse de Unione personali *essentialiter*, for-
maliter ac *constitutive*, non *accidentaliter*, *materialiter* & *consecutive*
considerata. (4) Sermonem esse non de conjunctione quadam *nuda*,
sed de *conjunctione ad unam personam*. Quibus prænotatis dicimus.
Unio personalis non consistit formaliter in Relatione quadam & con-
sensu vel cooperatione, vel determinatione ac sequela. Prob. (1) Quia
nullibi Scriptura S. per istiusmodi consensum nudum & cooperatio-
nem quandam Unionem hanc *formaliter* describit. (2) Quia contra
potius Scriptura S. Unionem hancce longe aliter describit, nempe ita,
ut Verbum dicatur caro factum Job. I, 14. DEUS manifestatus in car-
ne i. Tim. III, 16. sanguinis & carnis particeps factus dicitur λόγος,
ut pueri Hebr. II, 14. semen Abrahæ assumisse v. 16. Quæ loca sa-
tis inferunt unionem ita fuisse factam, ut λόγος humanam natu-
ram in personæ suæ unitatem repperit, eamque permeet, adde Co-
loſſ. II, 9. ita ut in ipsa Unione detur unius ejusdemque hypostaseos
participatio i. Tim. II, 5. intimaque naturarum ad se invicem præsen-
tia Job. I, 14. Coloff. II, 9. Quæ certe longe alia inferunt, quam nu-
dam illam assertam relationem aut consensem. (3) Quia consensus
hic etiam quidam est cum Patre & Spiritu S. quibuscum & Humana
Natura tamen nulla datur personalis Unio, cum alias & Pater & Spi-
ritus S. posset dici incarnatus. Quod falsissimum. (4) Quia con-
sensus, cooperatio & attributio in *Mystica quoque Unione locum*
habent. Sane qui uno Spiritu colligamur cum Christo, consensu
colligamur, qui virute Spiritus Christi induimur, ipsi cooperamur,
quæque agimus, Christus sibi attribuit. Tam vere ergo Petrus fo-
ret Christus, quam Jesus Nazarenus Christus est. Quæ absurdia omnia.
(5) Si unio personalis vinculo non nisi morali & interpretativo est
colligata, ut *Cartesiani* volunt, qualis Collegii ejusdam est, aut

Regum in fœdus coëuntium, non amplius unus erit Christus; sed re ipsa duo divisi viventes, fœdere tantum & fictione quadam Juris co-harentes. Quæ rursus absurdâ omnia. (5) Quia nec in genere neque consensu neque manifestatio cogitationum, neque obsequium determinantis voluntatis ad uniratem personæ quicquam facit. Alioquin quoties sunt homines concordes, ex duobus unus conflaretur. (6) Quia & sententia hæc Cartesiana repugnat toti Orthodoxæ Antiquiti, quæ contra quosvis Hæreticos cum Scriptura S. Unionem hancce longe aliter descripsit.

S. III. Objec. I) Mensem humanam, ipsumque DEUM sola cogitatione definiri, Unionem ergo non aliter posse fieri quam consensu. Resp. DEUM mentemque humanam non nisi sola cogitatione definiri posse, falsissimum est, quippe hac ratione abstracta concretis miscentur, cogitansque & cogitatio perinde habetur. Naturalis certe ratio nobis priorem dedit suppositi, quam actionis, aut attributi notionem, jubetque perpetuo distinguere id, quod cogitat vel agit, a cogitatione vel actione ipsa, unde tria illa regula: *actiones sunt suppositorum*. Sit ergo mens, sit & DEUS substantia cogitans, plus tamen erit, quam cogitatio mera. Nec ratio illa est, quare ens cogitans se non aliter, quam cogitatione alteri jungere posse credatur. Imo posse etiam aliter jungi, vel ex ipsa Unione naturali animæ & corporis doceri possumus. Si enim vinculum illud in sola operatione ponitur, sequitur, toties etiam Angelum & ipsum DEUM cum re quavis, in quam operatur, pari vinculo concrelcer, si in perceptione motuum corporis illud quæras, neque sic Deum ab eadem unione absolves, quamvis maxime Angelum. Quin & anima nostra cum in alieno corpore motus observeret, an etiam plura corpora induit? Absurda omnia. Exponant quælo, qui nil nisi cogitationem in anima agnoscunt, qui sùla cogitatio operari in corpus possit, aut effectum producere? Sane enim videmus nos cogitatione neque levissimam stupam movere posse, quomodo ergo illa per se sola sufficiet ad integrum corpus movendum? Neque est, quod hic ad opem DEI recurrent, res, posita voluntate nostra, moyentis, ita enim anima revera nihil operatur extra se, & sic per principia Cartesii neque corpori unitur. Agnoscant igitur virtutem mentis, ejusque essentiam latius exten-di,

di, quam ad id, quod cogitationis notioni includitur. *Objic.* (II) Personam esse substantiam incomunicabilem non sustentatam ab alio, ex quo sic infertur: Incommunicabile non potest dici communicabile. Persona est incomunicabilis. E. & per consequens unionem personalem non posse ita describi, quemadmodum quidem a Nostraribus fieri solet. *Resp.* (1) Committitur ignoratio *Elenchi*: Persona est incomunicabilis alteri *personæ*, quod concedimus, non autem alteri *naturæ propria subsistencia substituta*, de qua haec vice disputatur. (2) Äquiyacatio est in prædicato *Minoris*. Nam Tò *incommunicabile* opponitur communicationi καὶ μέσην, non autem illi, quæ καὶ συνδιατῶν, vel ἔνωσιν est.

Q. VI.

AN HUMANÆ CHRISTI NATURÆ COMMUNICATA ACTUALIS OMNIUM RERUM ET EVENTUUM SCIENTIA?

S. I.

Admodum subtiliter de hac questione disputationum fuit inter Arnaldum & Malebranche. Vide inter alia *Malebranchii duas literas Gallice Ann. 1687. editas Roterodam* ex quibus patet contra Anton Arnaldum hanc a Malebranchio positam esse thesin: *Anima JESU Christi personaliter cum Verbo unita ita ab hoc dependet, ut quoniam altam potestatem ad diffundendam in corda nostra gratiam non habet, quam Medicatoris Advocati, sumique Sacerdotis, sive uno verbo, quia est causa occasionalis, ut inquam non exerceat illam potestatem, quam per infinita desideria, que omnia habet a verbo, & quæ a Verbo in illa formantur, & habenda determinantur per lumen, quo eam illustrat, aut aliis modis, quo usum libertatis suæ ei non admittant.* Queritur quidem Malebranche, varias ab Arnaldo sibi affungi theses; responderet tamen se in tr. *de Natura & Gratiâ p. 113.* Scientiam omnium, quæ DEUS in imminuitate Entis sui continet, animæ Christi tribuisse. Intelligit autem id de scientia habituali, sive de facultate sciendi, non de actuali omnium rerum & eventuum scientia. Talem enim animæ J. C. competere

tere negat. Atque hinc concludit, Christum ut hominem sive ut eam occasionalem non scire *actualiter* determinationes humanarum voluntatum. Contra vero vid. Ant. Arnald. dans *réflexions Philosophiques & Theologiques sur le Nouveau Système de la Nature & de la Grace* livr. 3. c. 10. sq.

§. II. Prænotamus nos (1) loqui nos non de eo, quod competit animæ Christi juxta *actum naturale*; sed de eo, quod ei competit secundum *actum personale*. (2) Non tam sermoneim esse de *usurpatione plenaria*, qua se Christus in statu Exinanitionis evacuavit ad tempus; sed de ipsa *communicatione ac possessione*, in statu Exinanitionis, radiis quibusdam tamen non exclusis; & *plenaria* nunc in statu Exaltationis *usurpatione*. Quibus prænotatis dicimus: *Humanæ Christi Naturæ utique communicata fuit actualis quoque omnium rerum & eveniūm scientia*; sive Christus ut homo *actualiter quoque scit determinationes humanarum voluntatum*. Prob. (1). Ab expressa Scripturæ S. litera *Coloss. II, 3*. Quod vero hæc & de actuali quadam scientia intelligenda sint, satis comprobatur Petrus *Job. XXI, 15*. (2) Qua ratione Humanæ Christi Naturæ omnia reliqua idiomata divina sunt communicata, eadem ratione quoque communicata est omniscientia. Atqui communicata illi sunt omnia reliqua idiomata divina actualiter quoque. E. Et licet actualiter seu actu secundo non semper Christus exeruerit in statu Exinanitionis; actualiter tamen seu actu primo semper possedit, & nunc in statu Exaltationis actualiter plenarie & incessanter exerit. (3) Ex ipsis exemplis quibusdam. Sic enim Christus actualiter scivit cordis cogitationes, quas habebant Pharisei *Mattb. IX, 4. c. XII, 25. Luc. XI, 17. &c.* Videbat fidem *Mattb. IX, 2*. Videbat asinam in stabulo *Mattb. XXI, 2. sqq.* prædicebat futura *Marc. X, 32*. ut istiusmodi loca alia raceamus, etiam de Anima Christi intelligenda. Quod si autem hæc jam in statu Exinanitionis contigerunt, quanto magis valebunt in statu Exaltationis, conf. *Apoc. II, 23*. (4) Idem & ex ratione hac constat. Omne habituale exerit sese quoque per actus, ex habitu fluentes. Si ergo scientia Christi juxta *Malebranche* habitualis est, omnino etiam deinceps actualis debet esse. Aut si de potentia loquatur, frustra est illa potentia, quæ nunquam traducitur in actum.

§. III.

§. III. Objic. (I.) Animam Christi esse finitam; finitum autem non posse habere actualiter cogitationes infinitas. Resp. Licet anima Christi si finita, atque sic infinitas cogitationes non habeat per *actum naturalem*; habet tamen omnino per *actum personale*, ex Unionis gratia, per quam ipsi dona infinita sunt communicata. Coloss. II, 9.

Objic. (II.) Christum saltem Mediatorem nostrum esse & Advocatum, hincque animam Christi infinita desideria habere a verbo, quæque a verbo in illa formantur, & habenda determinantur. Resp. (1) Est utique Christus Mediator noster; sed non ut Φιλάδελφος, verum ut Θεός θεωρος, adeoque animæ Christi communicata fuere idiomata divina actualiter usurpanda, Coloss. II, 9. & sic quoque omnisciencia. v. 3. (2) Licet anima Christi omniscienciam habeat a Verbo communicatam; falsum tamen est; actualiter nunc etiam desideria infinita omnia in anima Christi humana formari a Verbo. Sic namque anima Christi non usurparet idiomata ενεργητικα, & communicatio sic facta esset saltem ad possessionem, non ad usurpationem, neque denominationem. Quæ fallissima omnia. Vide Systemata Nostrarium passim. Quæ de causa occasionali hic finguntur, examinabuntur infra.

Qu. VII.

AN CHRISTUS, DUM INTER MORTALES
VERSATUS, CULTU RELIGIOSO ADO-
RATUS FUERIT?

§. I.

Christi gloriam ita in terris obscuratam fuisse, ut non probari possit, ipsum religioso cultu per suam vitam adoratum fuisse, docet Petr. Chauvin. in tr. de Relig. nat. part. 3. c. 5. p. m. 269. ubi ita: *Ipse factus est mortalis, ut hominibus se se contempneret. Ut socius cum socio colloquitur, ideoque evadit pro sua indulgentia despabilis, natura non poterat ad DEUM adscendere, DEUS descendit in naturam, ut eam ad se admittat ac evehat. Ideoque vocatur Emanuel, quem nonnulli theologi volunt eam ob causam esse Lemuel, de quo ultim. cap. Proverb. eo quod nobiscum DEUS agnoscetur.*

ficitur. Illiusque gloria ita obscurata in terris fuit, ut vix probare possis, illum religioso cultu per ipsiu[m] vitam adoratum fuisse; vide hoc de re ultimum vermiculum 4. Cap. S. Marc. & perpende illum. Refutavit hic quoque Chauvinum Monfr. Vrigny, dans Remarques p. 86. Contra quem vero defendit asserta sua Dn. Chauvin dans éclaircissement, p. m. 73 sqq. ubi omnem illum cultum, qui Christo in diebus carnis exhibitus est, de civili dñntaxat explicat. Vide contra eundem quoque Dn. Buddeum in disp. inaug. c. 8.

S. II. Præsupponimus nos (1) sermonem esse de statu Christi non *Exaltationis*, sed *Exinanitionis*. (2) Quæri de adoratione quadam non *civili*, sed *religiosa*. (3) Non esse sermonem de *usu plenario* hujus gloriæ, hoc enim in statu *Exinanitionis* se evanescere lubenter concedimus; sed de quibusdam hujus gloriæ *radis*. (4) Non saltem sermonem esse de *Jure*, sed de *facto*. Quibus præsuppositis dicimus: *Omnino & in diebus Carnis sua interdum Christus a quibusdam cultu etiam religioso adoratus fuit*. Prob. (1) ex ipsis clarissimis Scripturæ S. exemplis. Sic enim religiose ipsum adorant Magi ut infante adhuc recens natum Matth. II, 2. & 11. Procul dubio id quoque fecerunt pastores Luc. II, 15. 16. 20. Religiose eum adorarunt discipuli Matth. VIII, 25. Petrus Matth. XVI, 16. totus populus Matth. XXI, 9. Plura exempla vide in B. Rappolti Opp. Theol. p. m. 1530. (2) Quia & in diebus carnis jam a quibusdam pro vero Messia, imo expresse pro filio DEI, veroque DEO fuit habitus. vid. Matth. XVI, 17. E. etiam quando adoratus fuit, ut DEUS est adoratus, sicque religiose omnino. Objectum enim adorationis religiose DEUS est Matth. IV, 10. conf. B. Rappolt. l. c. (3) A vaticiniis V. T. in quibus hic cultus partum prædictitur, partim exhibetur. vid. Ps. VIII, 3. collat. cum Matth. XXI, 16. Jes. IX, 6 sq. c. XI, 10. Zach. IX, 9. collat. cum Matth. XXI, 5. sqq. &c. (4) Quia & aliorum attributorum divinorum radios in diebus carnis sua Christus interdum emisit. E. etiam gloriæ hujus, qua religiose fuit adoratus; (5) Idem & Orthodoxi Patres olim senserunt. Præ aliis saltem audire hac vice placeat Chrysostomum, qui adorationem Magorum omnino de religiosa quadam Deoque facta explicat Hom. 8. in Matth. Tom. i. Opp. in N. T. p. m. 90. Ubi inter alia ita: *Quid illud est, quod Magis puerum adorare persuaserit.*

Nam

Nam neque Virgo ipsa erat nobilis, nec domus, in qua habitat illa-
stris, nec quicquam ex his omnibus, que videbantur, ejusmodi erat,
quod Magis admirationem faceret, eosque ad puerum alliceret ado-
randum. At vero illi non modo adorant, sed etiam apertis thesauris
suis offerunt munera, & munera certe D'E O quam homine digniora.
Et mox: cum essent cuncta alia levia, nisi stud eorum animos incitaf-
set, nunquam prosector tantum illi honoris parvulo detulissent. Idecirco
nihil ibi de sensibilibus ipsis grande conspicitur; sed angustum tugu-
rium, ac vile præsumptum & inops mater, ut melius nuda Magorum Philo-
sophia claresceret, & ut discas NB. quia non tanquam homini tantum;
sed etiam tanquam D'E O auctor omnium supplicarint honorum.
Omnino ergo Chrysostomus adorationem hanc pro religiosa habuit.
Idem & pluribus aliis testimoniis corroborari posset, si instituti id
pateretur ratio.

§. III. Objic. (I.) Christum a discipulis non fuisse habitum pro
DEO vero. E. nec etiam religiose adorari potuisse, & provocatur
imprimis ad Marc. IV. versu ult. Resp. (1) Timor ille & admiratio
discipulorum, cuius Marcus meminit, non probat, illos Christum
non habuisse pro vero DEO. Imo vel contrarium potius ex hoc ipso
loco probat B. Dn. D. Polycarp. Lyserus in Harmon. Evang. cap. 64.
Tom 1. p. 699. sqq. Deinde etiam ex iam adductis, imprimis ex Matth.
XVI, 17 satis superque appetet, Christum a Discipulis utique pro ve-
ro DEO fuisse habitum. Sed excipit Dn. Chauvin: Voce Filii DEI
Messiam olim fuisse insignitum, & nomen Filii DEI saltem nomen
dignitatis & præstantiae fuisse, quod denotaverit filium non natum,
sed affectu talem. Resp. Licet hac præconcepta & falsa, imo heretica
opinione nonnulli imbuti fuerint; non tamen dici poterit, quod &
Petrus Matth X VI, 17. in eadem heresi fuerit. Nam () Petrus ex-
presse duo consideratur: IESUM Nazarenum & Messiam esse, & Filium
DEI esse. (2) Christus hanc confessionem quam maxime approbat,
& super eum, quem Petrus confessus fuerat, ædificatur Ecclesia. Quæ
ædificatio certe super merum hominem, eumque, qui non natura, sed
saltem affectu filius Dei esset, fieri non potuit. Objic. (II.) Cultum il-
lum, quo Christus in diebus carnis adoratus, civilem duntaxat fuisse,
& non religiosum. Resp. (1) est petitio principii. Probetur, cultum

TOM. III.

D

hunc

hunc saltem civilem & non religiosum fuisse. (2) non mere civilem, sed religiosum hunc cultum fuisse, satis ex eo videre est, quia non nudo homini, sed omnino vero DEO, & Θεωθρόνῳ fuit exhibitus, ut verum DEUM enim Christum in diebus earnis suæ fuisse agnatum, ex jam dictis probatis constabat.

Qu. VIII.

NUM PATER ITA FUERIT IN CHRISTO, UT
OMNIA, QUÆ DE FILIO DICUNTUR, ETIAM
DE PATER DICI POSSINT?

S. I.

Auctor aliquis *Socinianus Anonymus Amstelod Ann. 1700.* edidit *Cogitationum novarum de primo & secundo Adamo s. de ratione salutis per illum amissæ, per hunc recuperatæ Compendium.* Ubi §. 59 seq. inter alia absurdæ & hæc habet: *In illo, qui mundum liberare debuit, DEUS pater habitavit, & habitat. Hinc que olim a DEO patre habitaturo in Christo fieri & impleri debebant, recte quoque ipsi DEO Patri in veteri fædere attribuuntur. E.g. ascendisti in altum &c. Ista Christo manifeste ab Apostolo tribuuntur; sed etiam de DEO Patre in Psalmo dicuntur, quia ille, quatenus in filio suo habitavit, merito dici potuit cum filio suo in terra fuisse, & una cum filio suo ascendisse supra omnes cœlos &c.* Contra quæ asserta vide Magnif. *Dn. Jo. Schmidii strictur. eruditissimas hujus libelli Lips. Ann. 1702.* publice ventilatas part. I. §. 31. p. 28. sq.

S. II. Præsupponimus nos (1) non esse sermonem de habitatione Patris in filio orthodoxe explicata, quam lubenter ex Job. X. 38. aliquisque locis Biblicis asserimus; sed de habitatione in eo sensu, quem quidem Adversarius noster propugnat. (2) Non esse sermonem tantum de habitatione, sed & de participatione terminative tali omnium eorum, quæ alias Christo competunt. Quibus præsuppositis dicimus: *Non ita habitavit DEUS Pater in Christo, ut & illa, quæ terminative alias Christo competunt, Patri tribui queant.* Prob. (1) quia dogma hoc Adversarii nullibi in toto S. Codice habetur. (2) Quia prædicationes illæ idiomaticæ, in hoc capite de Christo occurrentes, profunda-

fundamento habent Unionem personalem. Cum nunc ergo inter Patrem & Christum non sit talis unio, quæ facta ad unam personam, neque tales prædicationes hic de Patre formari poterunt, neque ita poterit dici habitare in Christo, quemadmodum quidem Adversarius noster vult. (3) Quia alias revera confunderentur personæ, ut Pater posset dici filius & Filius Pater. Quam tamen confusione in personarum omni studio evitare studet Orthodoxa Ecclesia. (4) Quia hac ratione & Pater posset dici incarnatus, passus & mortuus. Quod autem est contra Scripturam & contra Orthodoxam Antiquitatem, quæ istiusmodi locutiones contra Eutychianos, Jacobitas & Patripassianos damnavit, vide p. aliis B. Andr. Müller in Symbolis Syriacis, & quidem in notis ad Mardeni & Massi Epistolas p. m. 16. 17.

§. III. Objicit Adversarius (I.) potissimum Locum illum ex Ps. LXVIII, 19. Ubi putat, sermonem esse de patre, eique ascensionem tribui. Resp. Falsissima omnia. Illo enim in loco nequaquam sermo est de Patre; sed potius de Filio, ut ex ipsa ascensione satis videre est, quæ in h. l. non saltem elevationem in sublime denotat; sed & exaltationem ad dextram DEI Patris complectitur. Jam vero nemo ascendit, nisi qui descendit; solus autem filius descendit Job. III, 13. Eph. II, 10. Deinde nec DEUS Pater potest dici exaltatus ad dextram DEI Patris. Quo & accedit acceptio donorum propter homines a DEO Patre. Act. II, 33. Nulla autem ratione DEUS Pater in Filio habitans quicquam a DEO Patre accepisse dici poterit. Objic. (II.) DEUM Patrem semper fuisse in Filio. Resp. Pater quidem semper fuit in Filio, quod libenter concedimus, verum non eo modo, quemadmodum quidem Adversarius vult. Ut pote quod non saltem dicere, sed & probare debebat.

Qu. IX.

NUM A CHRISTO ALITER PECCATUM ADAMI ALITER PECCATA NOSTRA EXPIARI DEBUERINT?

§. I.

Sic docet idem ille *Anonymous Cogitationum illarum auctor* §. 87. sq. Ubi ita: *Duplex illa ratio mortis, cui Adami posteri subjacebant,*

bant, dupliquo ratione est depulsa. Quatenus ex Adamo ipso, eo quod ex illo procedamus, in mortem incidimus, obedientia Christi in deserto, ubi subriliissimas tentationes superavit sola poteramus liberari, qui etiam per solam inobedientiam Adami in Paradiso morti æternæ fædi fueramus obnoxii; sed quoniam peccavimus etiam nosmet ipsi, & dicatur Christus propter peccata nostra esse mortuus, hinc apparet, nisi etiam nos ipsi peccassemus, Messie ac liberatori non futurum fuisse necesse, ut obedientia ejus ad ipsam usque crucis mortem extendetur, adeoque mortem ejus in specie propter peccata nostra fuisse nefariam. Hinc & §. 94. distinguit inter extraordinariam Christi in deserto temptationem, & inter reliquam ejus ad mortem usque crucis obedientiam. Christum vi Spiritus divini irresistibili pulsum esse in desertum docet, ut decretum illud DEI: *ille observabit caput tuum, tu ejus calcaneum;* impleretur; ad mortem vero libere processisse. Et contra haec asserta vid. *Magnif. Dn. D. Schmidum l.c. §. 49. & 53.*
p. 40 sqq.

§. II. Nos presupponimus (1) non queri, num causæ mortis æternæ ita distingui queant, in primam scilicet prævaricationem, Protoplastorum nempe, & a prima ortam, scilicet peccata nostra; sed num causæ mortis dupli illa ratione ab Adversario asserta tolli debuerint? (2) non queri de expiatione ipsa, sic namque lubenter concedimus, speciatim Adami peccatum & que expiatum fuisse ac reliqua reliquorum omnium ac singulorum posteriorum peccata expiata fuerunt; sed de expiationis modo, & num aliter peccatum Adami, aliter peccata posteriorum ejus expiari debuerint? Quibus presuppositis dicimus: (1.) *Non aliter peccatum Adami, aliter peccata nostra a Christo expiari debuerunt;* sed una eademque hic Christi est Satisfactio. Prob. (1) Quia Christi satisfactio & mediatio est saltem una *Hebr. VII, 27. Gal. III, 20. Ephes IV, 5.* nullibi vero dicitur duplex, alia pro Adami peccato, alia pro peccatis nostris. (2) Passio Christi in deserto unique quidem satisfactoria & meritoria fuit, sed per illam solum a reatu peccati Adimitici liberari non potuit genus humanum, quippe sine sanguinis effusione nulla est remissio *Hebr. IX, 22.* (3) Sicut Adamus primus per peccatum mortem introduxit *Rom. V, 12.* ita secundus eandem non nisi per mortem abigere potuit, & debuit. Atque sic

sic & Adamus morte redimendus erat. (4) Quia alias revera sequeretur, peccata nostra graviora esse peccato Adami; cum tamen hoc peccatum primum omnium fuerit gravissimum. Dicimus: (II) *Eadem ratione Christus quoque subiit mortem, qua ratione sustinuit tentationem.* Prob. (1) quia non saltem tentatio, sed & ipsa mors fuit decreta, adeoque necessaria, quia sine illa non est remissio *Hebr. IX, 22.* Unde & agnus dicitur occisus ab origine mundi *Apoc. XIII, 8.* etiam in decreto divino *I. Petr. I, 19. 20. Act. II, 23.* Utique ergo & mors Filii DEI satisfacientis necessaria fuit. (2) Quia mortem exegit Justitia illa, quae DEO est essentialis vi comminationis illius factae: morte morieris. *Læsa* huic Justitiæ Divinæ ut satisficeret, omnino & mors filii DEI maxime necessaria fuit.

§. III. Contra *thespin primam Objic.* (I) per solam inobedientiam Adami in Paradiso nos aeternæ morti obnoxios factos esse. E. & per solam obedientiam Christi nos expiari potuisse. *Resp.* Neg. Consequ. Quippe non saltem inobediens factus fuit Adamus; sed & propterea reus factus est mortis aeternæ, quam DEUS comminatus fuerat, si comedederet de arbore vetita. Ab hac morte redimendus erat, quæ redemptio vero fieri non poterat, nisi & peccatum & peccati pœnam Mediator in se susciperet, adeoque utique & pro hoc peccato mori debuit Christus. *Objic.* (II) Christum in Scripturis dici saltem pro peccatis nostris mortuum. *Resp.* (1) Quando Christus dicitur pro peccatis nostris mortuus, non saltem praesentes intelliguntur, verum etiam jam mortui, quique olim fuerunt, atque sic omnes homines, consequenter etiam Adamus. (2) Adami peccatum rectissime quoque dicitur nostrum, licet non formaliter, tamen imputative. Contra *thespin secundam objicitur* potissimum hocce: Christum vi Spiritus divini irresistibili pulsus fuisse in desertum, non aequis sic pulsus fuisse ad mortem. *Resp.* Christus utique non violenter & irresistibiliter ad mortem fuit abreptus, quemadmodum nec violenter in desertum fuit pulsus, vitam enim posuit Christus libere a se ipso, nec quis sustulit eam *Job. X, 18.* At vero non ita libere posuit vitam, ut quidem Socinus ille noiter Adversarius vult, quasi mors Christi non tam necessaria fuerit, ac tentatio in deserto. Libera utique fuit mors respectu Christi

Christi eam sustinentis, necessaria autem respectu nostri, ut satisfactione fieret pro nobis, & respectu Justitiae divinæ læsa, satisfactionem hanc necessario urgentis.

Qu. X.

NUM CHRISTUS PRO OMNIBUS PROPRIE
SIT MORTUUS?

§. I.

Ante aliquot annos Job. *Claudius* dans les *Oeuvres posthumes* Tom. 3. pag. 54. seqq. docuit, quando Christus pro quibusdam dicitur mortuus, significationem vocis *PRO* attendi debere, ut vel hoc velit: *Christum revera loco ipsorum mortuum esse*: vel simpliciter mortem Christi ex parte DEI & Christi ipsis illis proponi cum mandato, ut acceptent, & declaratione sincera & seria eam ius, qui acceptaverint, proficiam fore. Priorem significationem magis *propriam*, & *naturalem*: posteriorum abusivam quidem, ordinario tamen satis loquendi usu receptam esse dicit. Quo ipso temperamentum aliquod inter Arminianos & Calvinianos se invenisse putat *Claudius*. Melioris illustrationis gratia supponit duas urbes, quæ uni Regi subjectæ obsequii jugum excusserunt. Regem *alteram* harum ita relinquere, ut plane gratiam ipsi facere nolit. Ad *alteram* mittere præcones, omnibus illis, qui armis positis ad clementiam Regis recursuri fuerint, criminis abolitionem proposituros. Hic *tria* Hominum genera concipienda proponit: *Primos* Rex Justitiae rigori committit. *Secundum genus* eos, qui oblatam gratiam actualiter arripiunt, *Tertium* eos, qui illam actualiter rejiciunt, complectitur. *Primis* nullo sensu gratiam tribui posse, dicit; *Secundis* vero in propria significatione vocis *PRO*, tanquam rem, quæ ad ipsos pertinet, cuiusve possessionem jam obtinuerunt: *Tertios* in duplice tempore considerandos esse docet, aut *post*, aut *ante* actualē gratiæ oblatæ rejectionem. Respectu *prioris temporis* gratiam, qua per rejectionem, quæ eos planæ excludit, indignos se reddiderunt, ad eos non pertinere. Ratione *posterioris* temporis gratiam ipsis competere in sensu vocis *PRO* non *proprio*, sed *abusivo*.

abusivo. Mox in nova quadam propositione temperamentum dante, per Urbem rebellem & Justitiae traditam Dæmones; per alterius urbis incolas gratiam Principis actualiter amplexos *fideles*, per omnes ejus incolas ante distinctionem, qui gratiam arripiant, vel rejiciant consideratos, omnes homines intelligit in genere, ut increduli in finali incredulitate persistentes partem incolarum post rejectionem gratiae consideratam constituunt; & deinde concludit: Christum pro Dæmonibus nullo sensu, pro *fidelibus* in sensu vocis PRO *perfecto*, pro omnibus hominibus ante incredulitatem finalem in sensu vocis PRO *imperfecto*: pro infidelibus in finali incredulitate consideratis, nullo modo mortuum esse.

§. II. Prænotamus nos (1) sermonem esse non de *demonibus*, sed de *hominibus*. (2) De hominibus omnibus non saltem *fidelibus*, verum etiam *infidelibus*, & ante incredulitatem finalem, & in finali incredulitate consideratis. (3) Quæri non saltem: an Christus mortuus sit pro infidelibus; sed & num *proprie* & in sensu *perfecto* mortuus sit? (4) Sermonem esse non de *applicatione* mortis Christi, sed de *morte ipsa*. (5) Sermonem esse de particula PRO non *commodum* tantum alterius, sed etiam *vices* & *locum* alterius denotante. Quibus prænotatis dicimus: (1) *Christus pro omnibus omnino hominibus non saltem fidelibus, sed & infidelibus in finali incredulitate consideratis, mortuus est.* Prob. (1) Quia Christus est agnus DEI portans mundi peccata. Job. I, 29. Per mundum autem intelliguntur non saltem credentes, sed & increduli, & in finali incredulitate considerati. Job. III, 17. sqq. 1. Job. II, 2. (2) Quia Christus & pro iis dicitur mortuus, qui reapse pereunt, & damnantur, 1. Cor. VII/I, 11. Rom. XIV, 15. Hebr. X, 29. 2. Petr. II, 1. E. & pro infidelibus, in finali incredulitate consideratis. (3) Quia propter finalem incredulitatem omnes damnaei pereunt, Job. III, 18. & quod oblatam gratiam a Christo partam accipere noluerint. Omnia ergo & pro infidelibus, in finali incredulitate sua consideratis, Christus mortuus est. Reperi hic etiam poterunt, quæ nostrates disputant de impenitentia finali, & quomodo Christus pro ea satisfecerit, vid. B. Balbus, Meissner. in *Questionibus vexatis* quest. 3. & B. Quensted. in *System. Loc. de peccato* sett. 2. *Quest. 19. pag. m. 107. sq.* Conf. & *Compendium nostrum Theol.*

p. 116.

p. 116 sqq. Dicimus (II) *Pro omnibus omnino hominibus ante incredulitatem finalem quoque spectatis, Christus & que proprie est mortuus ac pro fidelibus.* Prob. (1) Quia objectum Satisfactionis personale proprie sic dictum, non sunt fideles & Justi, illi enim ut sic satisfactione ad redemtione non habent opus, *Matth. IX, 12. sqq. c. XVIII, 11. Luc. XV, 7.* Tales autem fideles in mundo non dantur, *Rom. III, 23. Ps. XIV, 3.* Sed omnes sunt infideles & peccatores, quatenus Christus proprie loquendo pro iis mortuus est, sive quatenus loco ipsorum mortuus est. *Rom V, 6. 8 & 10.* Quamobrem etiam Christus peccatum factus esse dicitur, *2 Cor. V, 21.* nostri loco scilicet. Ergo jam pro omnibus infidelibus, in quoconque etiam statu, sive ante incredulitatem, sive in finali incredulitate, consideratis, maxime proprie Christus mortuus est. (2) Quia promiscue pro omnibus Christus dicitur mortuus. Jam vero a proprietate literæ non est recedendum, ubi nulla nos cogit necessitas, imprimis & cum e contrario proprietatem literæ gravissima fundamenta urgeant, de quibus jam diximus. (3) Quia satisfactio proprie sic dicta vocationem antecedit. Prius enim Christus pro hominibus satisfacere debebat, & deinde sequitur vocatio; in qua beneficia illa, per mortem & satisfactionem Christi parta, omnibus offeruntur. *Act. X, 43.* Atque hinc demum jam oritur discriumen inter *infideles & FIDELES*, qui ex statu infidelitatis & peccati in statum fidei per acceptationem médiorum salutis transferuntur. E. Christus pro hominibus jam ante vocationem ut mortuus aestimandus erit. Proptereaque hæc mors pro omnibus non poterit explicari, ut quidem *Mons Claude* vult, de *propositione mortis Christi cum mandato ut accepatur*: Non enim mors ipsa Christi cofundenda est cum beneficiorum morte hac partorum oblatione. Atque sic nec abusive aut imperfecte, sed & que proprie ac perfecte Christus mortuus est *pro hominibus ante incredulitatem finalem consideratis, ac pro iis, qui deinceps fideles facti, cum per verbum mors Christi fuit annunciatæ.*

S. III. Non habet *Claudius*, quæ objicere queat, nisi quod putat, hac ratione conciliari posse Calvinianos & Arminianos. Verum enim vero (1) ardua adhuc erit quæstio, num Arminiani hanc conciliationem sint acceptari? Procul enim conciliatio hæc adhuc abest ab Arminianorum hypothesis, & parum recedit

ab

ab antiquis Calvinianorum hypothesibus, (2) Posito etiam, quod Disp. III.
conciiliari sic Calviniani & Arminiani queant; omnia tamen sunt con-
tra veritatem in Scriptura S. revelatam, & fidei veræ analogiam, cum HERM.
qua hac ratione conciliatio nulla speranda foret. Argumenta illu- BüNKAU,
strantia, quibus Claudio passim utitur, imprimis quæ desumit a dua- Lubecensi.
bus urbibus, quæ uni Regi subjectæ obsequii jugum excusserunt, &
ubi ad alteram præcōnes mittantur, ita sunt comparata, ut huc pla-
ne non quadrent. Confundunt enim gratiam oblatam & acceptam
vel rejectam, cum parta.

Qu. XI.

NUM POENÆ SOLUM HOMINUM, NON IPSA
PECCATA TAM QUOD MACULAM, QUAM QUOD
REATUM, IN CHRISTUM TRANSLATA
SINT?

S. I.

Recentiori nostra ætate hac de quæstione disputatum fuit in Britannia inter sic dictos Antinomos & Neonomos: Utrum nimirum solum pœna Electorum peccatis debitæ, an vero ipsa Electorum peccata, tam quoad maculam, quam quoad reatum, in Christum ut sponsorem translata sint? Nonnulli prius, alii posterius defenderunt. Qua occasione pariter quoque quæri cceptum fuit: An Christus propter illam translationem æque peccator sit ac dici debat, quam ipsi electi, imo peccatorum omnium maximus, & num per sponzionem Christi facta sit quædam personarum inter Christum & Electos transmutatio? Alii negarunt, alii contra affirmarunt, docentes, nos non magis peccatores esse, quam Christus, qui peccatum pro nobis factus æque ac nos peccator sit: ita nostra peccata ipso actu in Christum translata esse, ut nos amplius peccatores non simus. Quoties de electo sermo est, quamvis adulterium, furtum, idolatriam commiserit, eum non esse illum adulterum, furem, idololatram; sed id potius de Christo affirmandum. Nullum unquam in terris tantum transgressorem fuisse, quantus Christus. Tanquam Mediatorem Controversiis hisce fese in Belgio inter posuit Dn. Herman Witsius, & hunc

TOM. III,

E

in

in finem edidit *Animadversiones irenicas ad Controversias, quæ sub infaustis Antinomorum & Neonomorum nominibus in Britania nunc agitantur, Ulrajecti Ann. 1696.* Quæ deinceps & Miscellaneis ejus sunt insertæ. Et quidem c. i. n. 13. & 14. concedere quidem videtur, Christo etiam quod maculam imputata fuisse peccata nostra; sed vero c. 2 non vult admittere, Christum dicendum esse **peccatorem, peccatorum omnium maximum, vere peccatorem**, ad minimum putat, satis esse abstinerre a locutionibus tam horridis, facileque calumniae expositis. Contra quem vide quoque Maxime Rev. Dn. D. Georg Frieder. Niehenckium, jam Pastorem Ecclesiae Malmoeensis Primarium longe vigilantissimum, Dn. Cognatum, in Christo Fratrem, & Fauorem nostrum longe svavissimum ac honoratissimum, in *Disp. de Christo. Qu. 4.*

§. II. Quo pateat eo melius, quid de locutionibus hisce juxta analogiam fidei nostræ sit sentiendum, prænotamus nos (1) Non adeo hac vice nos esse sollicitos de *universalitate satisfactionis Christi*, quam utique & præsentes Adversarii omni ex parte in dubium vocant, dum ubivis peccatorum Electorum saltem mentionem faciunt: spectant hæc ad communissimas Calvinianorum hypotheses, ubivis in Systematibus nostris explosas; sed potissimum nunc sermonem nobis saltem esse de *objecto satisfactionis reali*, utrum illud tantum pœna, an vero etiam ipsa *peccata hominum fuerint?* (2) Quærunt non saltem de *peccatis* ipsis, sed & de eorundem *reatu* pariter ac *macula*. (3) Sermonem nobis esse non de *peccatis Christi propriis*, sed *alienis* hominum scilicet in Christum translatis. (4) Sermonem nobis esse de *imputatione*, non *inbasione*. Sic namque lubenter concedimus, Christum inhaesive nullo modo dicendum esse peccatorem, Sanctissimus enim erat, & ab omnibus peccatoribus segregatus, quemadmodum ubivis in Systematibus nostris docetur. (5) Sermonem nobis esse de *transmutatione* seu *permutatione* quadam non *physica*, sed *moralis*, extrinseca quidem, verisima tamen, ut peccata nostra, quemadmodum rectissime *Wifius l. c. c. i. n. 14.* docet, Christi evadant, quando ipsi ut expromisso imputata sunt, ipseque ea expromissorio nomine inscepit, ut propriis liberrime ac sanctissime a se suscepit, ac destinat esse nostra, quatenus ob ea propter Christi satisfactionem in Judicio DEI ad condemnationem aut satisfactionem in propria persona compellari non possimus.

possimus. Quibus prænotatis dicimus: (1) Non saltem pœna peccatorum translata fuerunt in Christum; sed & ipsa hominum peccata & quoad reatum & quoad maculam Christo imputata fuerunt. Prob. (1) a clarissima Scripturæ S. litera Ies. LIII, 4 s. 6. 7. ubi expresse Christus dicitur tu ille nostra peccata, peccata nostra dicuntur in eum translata, & quidem ira, ut propterea contehissimus & abjectissimus omnium fuerit. Unde & dicitur agnus DEI portans mundi commaculatissimi scilicet peccata Job. I, 29. (2) Quia propter imputationem hanc Christus quoque factus dicitur execratio Gal. III, 13. E. omnino & quoad reatum & quoad maculam peccata hominum in Christum translata fuerunt. (3) Quia reatus ac macula ac peccato est inseparabilis. Quid enim peccatum foret sine macula? Certe nonnisi σιδηρόξυλον. Cum nunc ergo in Christum translata fuerunt peccata, omnino & quoad maculam debuerunt translata fuisse. (4) Quia idem quoque præfiguratum fuit in typis V. T. Quemadmodum sic e. g. hircus emissario imponebantur totius populi peccata Levit. XVI, 21. sqq. & quoad reatum pariter ac maculam. Eadem & victimarum V.T. erat ratio. Hæ namque non pœnas tantum peccatoribus debitas, sed & peccata ipsa quoad maculam quoque per imputationem suscipiebant. Inepta ceteroquin arque ἀδεια quoad inhærentiam peccatis subjectiva. Per quam solide contra Pontificios id deducit B. Rappolius in Theolog. Aphorist. Job. Tom. i. Opp. Theolog. p. m. 297. propterea monens, duplii modo & Christum ipsum & typum Christi victimam V. T. factum esse peccatum; uno per imputationem peccati alieni, non aliter ac si esset proprium; altero per inflictionem pœnae peccato debitis & subjective inhærentis illi, qui pro alio patitur. Victima namque in V. T. reputabatur peccasse, atque ideo luebat pœnas, quas peccatores, pro quibus sacrificium offerebatur, debebant luere. Et quidem imputationem peccati significabat κεισθετια, sive impositio manus Sacerdotum in victimam! Lutitionem vero peccatorum representabat ejus occisio. Proinde victimæ V. T. erat typus Christi, victimæ N. T. & quoad imputationem peccatorum & quoad pœnarum passionem. Nam propter peccata nostra sibi a DEO imputata Christus patitur in corpore, & anima sua dolores tum externos tum internos. Utrumque ergo conjungendum est in hac explicatione, & non seorsim vel typo

E 2

vel

vel antitypo tribuendum. (1) Quia & doctrina hæc Orthodoxæ Antiquitati non est adversa. Hac enim mente Gregor. Nyssenus dixit, Christum tulisse τὸν ἀμαρτιῶν ἡμῶν πύνον peccatorum nostrorum maculam. Quomodo & B. Lutherus noster idem nobiscum sentiat, videbimus mox. conf. & B. Dn. D. Dorsch. in Theol. Zach. part. 1. p. m. 329. Dicimus: (II.) *Christus per imputationem vere peccator, imo peccatorum maximus dici poterit.* Prob. (1) a clarissima Scripturæ S. litera, quæ & stultitiam & peccata (nostra scil. & imputata Christo tribuit Ps. XL, 13. Ps. LXIX, 6. Ab iis nunc etiam recte vocari poterit peccator, imo peccator maximus, quemadmodum sic rursus eum expresse Scriptura vocat, quando in abstracto eum peccatum vocat 2. Cor. V, 21. Quemadmodum sic locum hunc cum Chrysostomo, Theophylacto, Oecumenio & B. Lutero nostro explicant B. Affelmann. in Synagm. part. 2. p. m. 74. B. Dn. D. Dorsch. in Theol. Zach. part. 1. p. m. 328. sq. B. Rappolt. l. c. p. 298. aliisque. Et sive etiam cum aliis non nullis Orthodoxis nostris per Hebraismum explices de *Sacrificio pro peccato*, procul dubio tamèn Sacrificium illud in abstracto sic vocatum fuit, quia hostis illa pro peccato propter imputationem ita fuit aestimata, quasi peccator maximus sacrificaretur. Qua ratione interpretatio hæc priori plane non adversa foret. (2) Quia Christus dicitur factus pro nobis *maledictum*, s. *execratio* i. e. *maxime & insiniter maledictus*, sicut Abrahamus dicitur *benedictio* Gen XII, 3. i. e. *quam maxime benedictus*. Fuit autem Christus *maledictus*, non quatenus innocens & iustus fuit in sua propria persona; sed prout vicem nostram sustinuit, perinde ut victimis V. T. peccata populi revera imputabantur, ita ut propterea occiderentur cœu dignæ morte, & contractu quoque suo, ut Hircus ἀποπεμπᾶς, inficerent Levit. XVI, 26. Neque enim separandi a se invicem sunt duo hirci, ambo ad osium tabernaculi adducti. Nam occisus (quemadmodum quidem Nostrarium quidam putant) norat Christum, quatenus est mortuus; Emissarius Christum, quatenus ipsi imputata fuere peccata nostra & factus *καθάρισμα*. Vide B. Rappolt. l. c. p. 299. Rectissime ergo in hoc sensu Christus dicitur *Peccatorum maximus*. (3) A Justitia DEI vindicativa: Qui Juste punitur a DEO, ille aut inhæsive, aut imputative est peccator. Atqui Christus &c. E. At non inhæsive Christus peccator fuit.

fuit, E. imputative. (4) Quia & pii veteres sine scandalo ita locuti fuerunt. Sic namque D. Chrysostomus Hom. II. in 2. ad Cor. Justum, inquit, peccatorem fecit, ut peccatores justos efficeret. Et Oecumenius in cap. 9. Hebr. Magnus, inquit, erat peccator Christus, utpote qui totius mundi peccata in se suscepserat, snaque fecerat. Hinc & in magnum afflictorum solarium B. Lutherus noster in cap. 3. Ep. ad Gal. Tom. 6. Altenb. p. m. 498. inter alia maxime emphatice ita quoque scribit: Und zwar alle Propheten haben im Geist zuvor wohl erschen, daß Christus seyn würde der allergrößte Sünder, dess gleichen auf Erden nie kommen wäre. Denn indem er ein Opfer ist für die Sünde der ganzen Welt, ist er jetzt nicht eine solche Person, die unschuldig, und ohne Sünde sey, ist nicht Gottes Sohn in der Herrlichkeit, sondern ein Sünder ist er, eine kleine Zeit von GOD verlassen. Ps. 8. Der da trägt und auf'm Halse liegen hat die Sünde S. Pauli, der ein Gotteslästerer, Verfolger, Freveler gewesen ist. S. Peters, der Christum verlängnet hat. Item Davids, welcher ein Ehebrecher und Mörder war, und machte, daß der Nahme des HERRN unter den Heyden verlästert ward. In Summa, er ist die Person, die an ihrem Leibe trägt, und auf sich geladen hat alle Sünde aller Menschen in der ganzen Welt, die je gewesen, noch sind, und seyn werden. Nicht also, daß er solche Sünde selbst gethan hätte; sondern daß er sie von uns, die wir sie gethan hatten, auf seinen Leib genommen hat, auf daß er dafür mit seinem eigenen Blut gnug thäte, sc. Conf. & Eundem in Explic. Psalm. IX. Tom. 2. Altenb. p. m. 693. Dicimus: (III.) Datur hic utique etiam permutatio quedam moralis, ut quæ nostra sunt, sint Christi, & quæ Christi sunt, siant nostra. Prob. (1) ex clarissima Scripturæ S. litera 2. Cor. V, 21. Ubi Christus pro nobis dicitur factus peccatum, & contra nos vice versa Justitia in eo. (2) Quia idem quoque urget Satisfactio vicaria. (3) Quia alias anima ob peccatum afficta solatio sufficienti erigi non posset. Unde & (4) Pii veteres semper sic docuerunt: vide Chrysostomi & Oecumenii testimonia jam supra citata. Peregregie etiam de hac permutatione egit B. noster Lutherus in cap. XIV. Iohannis Tom. 7. Altenb. p. m. 108. sq. Ubi inter alia ita: Dieser Text ist zu gut, daß wir ihn

ihu müssen handeln zu Nutz und Trost den Christen, so solches Drostes bedürffen, daß sie diese zwey Stücke fassen, als die höchsten und nöthigsten zu unsern Drost, wie wir in Christo, und Christus in uns ist. Eines gehet über sich, das ander unter sich. Denn wir müssen zuvor in ihm seyn mit allen unsern Wesen, Sünde, Tod, Schwachheit, und Wissen, daß wir für GOTT davon befreyd und erlöst, und selig gesprochen werden, durch diesen Christum. Also müssen wir über uns und außer uns in ihn schwingen. Dadurch verleuret sich Sünde, bbb Gewissen, Tod und Teufel, daß ich kan sagen: ich weis von keinem Tod noch Hölle. Ist etwa der Tod, so fresse und würge er zuvor meinen Herrn Christum, die Hölle etwas, so verschlinge sie den Heyland, kan die Sünde, Gesetz, oder Gewissen verdammnen, so verklage es den Sohn GOTTS. Wenn das geschehen ist, so will ich mich darnach auch lassen verdammen, fressen und verschlingen: Aber weil der Vater, und Christus lebendig bleibt, so will ich auch lebendig bleiben. Darnach gehet wieder von oben herab, also wie ich in Christo bin, also ist wiederum Christus in mir, ich habe mich sein angenommen und bin in ihn gekrochen, aus der Sünd, Tod, und Teufels Gewalt getreten. *rc.* *Quæ omnia ita sunt comparata, ut sine ullo omnino scandalo in Ecclesia tolerari queant.*

§. III. Non habent Britanni, quod objicant, nisi (I.) Christum fuisse Sanctissimum. E. non posse dici, quod peccata habuerit quoad maculam. *Resp.* Facile hæc solvi poterunt ex iis, quæ jam §. 2. prænotavimus, licet enim inhaesive Christus nulla peccata habuerit, & Sanctissimus omnino fuerit, imputative tamen aliena peccata portavit, etiam quoad maculam, & pro iis plenissime satisfecit. *Objic.* (II.) Scripturam Christum quidem dicere peccatum; nullibi autem peccatorem. *Resp.* Reperantur hic ea, quæ jam supra diximus, ubi asserta nostra probavimus, ex quibus patebit, Scripturæ non esse adversum, Christum Peccatorem quoque imputative tales vocare. Ipsa enim illa Mediatorem & Sponsorem nostrum ut istiusmodi peccatorem vires nostras sustinentem in Judicio Divino describit.

Qu. XII.

Q. XII.

AN PORTATIO PECCATORUM INCHOANDA
 A CRUCIFIXIONE MAGNA CUM ABOMINATIONE
 JUNCTA, ET IN RESURRECTIONE
 TERMINANDA?

§. I.

De hisce iudicem Britanni disputant, quærentes: An translatio peccatorum in Christum eorumque portatio inchoanda sit ab illius crucifixione, & terminanda in resuscitatione ex mortuis? Item: an Christus toto eo tempore, quo maxime nostra ferebat peccata, separatus fuerit a DEO, Deusque a Christo? An Christus ob fidem translatarum in se iniquitatum odiosus & abominabilis DEO fuerit? An DEUS ad id tempus Filium suum abdicaverit, rursumque pro filio agnoverit, quando eum suscitavit ex mortuis? Alii affirmarunt, alii negarunt. Et de his judicium suum dat *Hermannus Witsius l. c. cap. 3.* docens, totum illud Schema servi, & *εὐολωπος σάρπις αὐτοπέτειος*, ab initio vita Christi ad mortem usque durans, translati in ipsum peccati argumentum fuisse, & justo tardius incipere, justoque diutius producere tempus, quo peccata nostra Christo incubuerunt, qui illud inchoant a cruce, & terminant in resurrectione. Phrasæ autem illas de separatione Christi a DEO, de Christo odioso ac abominabili, & imprimis de abdicatione filii, insolitas putat esse & duras, tantumque horroris audientibus incutere, ut stupeant magis ad τὸ ἀποσθόντον σεμνοῖς sermonis, quam ut idonei reddantur ad rem ipsam æqua lance trutinandam.

§. II. Quo & hic in tam tremendo mysterio caute & juxta analogiam fidei nostræ loquamur, prænotamus (1) sermonem esse de translatione peccatorum in Christum non *ratione decreti*, sed *ratione executionis* in temporis plenitudine factæ. (2) Distinguendum esse inter translationem peccatorum, seu passionem Christi *inchoatam continuatamque, & consummatam extremamque*. Hanc in crucifixione cœpisse, & in triduo mortis terminari docemus, non itidem *illam* in crucifixione cœpisse dicimus. (3) Distingu. inter Christum *absolute*

absolute ac per se, & relate consideratum. Quamvis persona Christi in se, per se, ac absolute sub odium & abominationem DEI Patris non cadat, cum essentiali amore illam personam filii sui Pater amet. Relate tamen, quatenus illa persona Christi in judicio DEI representat universi generis humani peccata, res aliter sese habet. vid. B. Dorsch. in Theol. Zach part. i. p. m. 257. & 263. (4) Dist. inter statum Personæ Christi proprium, ac vadimoniale, de hoc potissimum bac vice loquimur, non de illo, in quo Christum execrabilem ac abominabilem fuisse lubenter negamus. conf. Quensted in System cap. de Statibus Christi tb 50. Observ. 3. (5) Dist. inter separationem, abdicationem seu abjectionem απογνωσιν finalē seu perpetuam; & οἰνοφυσιν dispensativam seu temporariam. Illo modo Christum separatum & abdicatum, ac abjectum seu rejectum fuisse, (ut exinde sequatur, filium diaboli eum fuisse, ut blasphemē nimis Bellarminus exinde colligere voluit) omnino negamus; Hanc autem affirmamus. Conf. B Aff.mann. in Syntagm. part. 2. p. m. 72. & B. Dannhauer. in disp. de septem verbis novissimis Christi p. m. 23. (6) Dist. inter physicam aut essentialē quamplam competentiam, & approbationem a Filio DEI factam. Illo modo Filium DEI a DEO separatum, abdicatum & abjectum seu derelictum fuisse, lubenter negamus; alia autem estratio posterioris. Quibus breviter prænotatis dicimus: (1) Translatio peccatorum in Christum, ejusque satisfactio inchoanda est a primo Exinanitionis momento. Prob. (1) quia omni illo tempore, quod Christus in statu vili atque abjecto transegit, nunquam visus est sine peccato. Hebr. IX, 28. Quod peccatum nempe ipsi imputatum, inque eum translatum fuit, ac ab ipso portatum. (2) Quia & jam ante crucifixionem a Johanne vocabatur agnus portans mundi peccata. Job. I, 29. 36. (3) Quia & ipsa naturæ humanæ assumptio agnitus fuit suscepit a DEI filio peccatorum nostrorum debiti, Hebr. II, 14. & langvine circumcisionis ejus signatum est Chirographum. (4) Quia quo momento Christus pati cœpit, eo etiam satisfacere peccataque nostra portare cœpit, quia omnis Christi passio est satisfactoria & meritoria; sed jam a prima infantia Christus est passus, uti tota Evangelica Historia testatur. E. tum quoque satisfacere, peccataque nostra portare cœpit. Dicimus (II.) Christus in relatione illa, qua positus fuit sub mole omnium peccatorum totius

totius generis humani, & in statu vadi moniali consideratus, revera odiosus & abominabilis Patri suo cœlesti fuit. Prob. (1) a clarissima Scripturæ S. litera Gal. III, 13. ubi plane maledictio & execratio vocatur Christus, conf. & Deut. XXI, 23. execrabilis ergo, odiosus & abominabilis omnino factus est. (2) Quia Deus dicitur filium suum mittens in similitudine carnis peccati, neq; neq; cunctas narrare exponere tñ cunctas ev rñ oœxi, Rom. VIII, 3. Arguo: *Damnare aliquid in aliquo est actus odii, abominationis ac iræ, justitieque punientis, si ex causa vera procedat.* Atqui DEUS pater damnavit peccatum &c. E. (3) Quia Rom. VIII, 32. Deus dicitur non pepercisse filio suo, etiam in peccatis. Qui actus fuit justitiae, abominationis & iræ. Conf. hæc egregie deducta a B. Do-schæo l.c. p. 258. sqq. (4) A ratione satisfactionis Christi vicariae, in qua nostri loco fuit. Quam abominabiles ergo nos fuimus DEO propter peccatum vi essentialis ejus justitiae, tam abominabilis nunc quoque sponsor noster debuit fuisse, quia nostri loco fuit reputatus ut peccator omnium maximus, quemadmodum in præ. quæst. probarum est. Dicimus (III.) *In eodem statu nunc etiam Christus a DEO separatus, abdicatus & abjectus fuit ad tempus.* Prob. (1) ex modo jam assertis. Qui enim execrabilis, abominabilis fuit DEO, odium, iramque ejus summam expertus, a DEO condemnatus, ille utique in eodem sensu & separatus, abdicatus & abjectus fuit a DEO. (2) Ex clarissima Scripturæ litera Ps. XXII, 2. ubi vere a DEO dicitur relictus. E. & separatus, abdicatus, & abjectus fuit. (3) Quia & idem urget officii satisfactorii ratio, quod nostri loco obiit. Quemadmodum enim nos separati eramus a facie DEI, abdicati, & abjecti, quippe peccata nos & Deum nostrum separant, Jes. LIX, 2. ita & idem sponsor noster in se debuit suscipere. Dicimus (IV.) *Rectissime etiam hæc appropriate de ipso Filio Dei prædicantur.* Prob. (1) ex clarissimo Scripturæ S. indicio. Quod si enim Princeps vitæ, atque adeo Filius DEI dicitur interfectus; Act. III, 14. Quod si DEI sanguine dicitur Ecclesia redempta Act. XX, 18. Quod si Dominus gloriæ dicitur crucifixus 1. Cor. II, 8. etiam rectissime filius DEI, ipse Deus dicitur passus & mortuus. Vide hic solidissimam Disp. Maxime Rev. Dn. D. Rumpai, in Christo Fratris ac Fautoris nostri longe honoratissimi, de Hymn. Passional. *Ott selbst liegt tot,* heic Rossochii

TOM. III.

F

quon.

quondam Praeside Magnif Dn. D. Jo. Nicol. Quistorpio, Socero nostro primo ac in Christo Patre longe colendissimo, habitam. Quod si nunc ipse DEUS passus dicitur, & ea, quæ ad passionem pertinent, in eodem sensu de Filio DEI prædicanda erunt. Conf. B. Affelmann. l. c. p. 67.
 (2) Quia id urget quoque ratio Unionis personalis, ubi duæ naturæ illæ unitæ sunt ad unam personam. (3) Quia contraria assertio fovet Aliaos in illam Zwinglianam, cui in mediatione sua in hac Controversia videtur quoque favere Witsius. Contra quam vide omnino Formulam Concord. in solid. declarat. art. 8. p. 771. Quo in sensu etiam B. Luterus noster loco jam in præced. Qu. allegato dicit de Christo: Indem er ein Opffer ist für die Sünde der ganzen Welt, ist er nicht eine solche Person, die unschuldig und ohne Sünde sey, ist nicht Gottes Sohn in der Herrlichkeit; sondern ein Sündler ist er, eine kleine Zeit von GOD verlassen. Conf. & B. Dn. D. Deutschmann. in Disp. de Christi derelictione §. 14. (4) Quia & Ecclesiastica Phrases, quarum conformitas cum Scriptura doceri potest, non statim tanquam erroneæ rejiciendæ, eum alias multæ sanæ eliminandæ forent phrases, quæ non sine sua, eaque sœpe magna utilitate retineri possunt. Dicimus (V.) Satisfactionis & peccatorum portationis terminus fuit in morte Christi, non in Resurrectione ejusdem. Prob. (1) ex decantatissimo illo, quod Christus in ara crucis exclamavit: Consummatum est. (2) Quia jam ante resurrectionem Christus quoque descendit ad inferos, ubi autem nihil amplius passus est, nec peccata portavit; sed potius triumphavit.

§. III. Contra Ihesin primam & quintam objic. (I) Ante Crucifixionem in Christo fuisse saltem debiti confessionem, atque in ærumnis ac vilitate tantum fuisse Christum, non autem fuisse vilitatem hanc partem Satisfactionis. Resp. Falsum est, quod hæc vilitas non fuerit pars Satisfactionis. Expressè enim dicitur Christus Sacerdos tentatus in omnibus, similiter ac nos, quamvis absque peccato, qui & sic posset affici sensu infirmatum nostrarum. Hebr. IV, 15. Satisfactionia ergo fuere omnia. Imo & expresse hisce omnibus Christus dicitur soluisse Psalm. LXIX. & totum hunc lege Psalmum, facileque videbis, totam Christi vitam vilissimam satisfactoriam fuisse, & peccata nostra ab eodem per totam eam vitam portata fuisse. Objic. (II) Christum

stum in resuscitatione demum ut Filium DEI rursus generatum esse
Ad. XIII., 33. collat. cum *Pf. II.*, 7. eosque ergo portata nostra pecca-
 ta. *Resp.* Resurrectio in hoc loco nequaquam per novam quandem ge-
 nerationem describitur; sed per hanc saltē illa demonstratur, quod
 impossibile esset Filium DEI teneri a morte, ex *Pf. II.* autem promis-
 sionum, exhibito Filio, impletio confirmatur. E quibus omnibus
 autem plane non sequitur, satisfactionis terminum in Resurrectione
 demum quārendum esse, quia hic nihil amplius passus est Christus,
 cum jam antea omnia consummata fuerint. Quamvis lubenter conce-
 damus cum Nostratis Theologis, non sine causa in adducto loco,
 quemadmodum & alibi, Deum Patrem dici suscitasse Filium, signifi-
 cando scilicet, plenissimam sibi satisfactionem nunc factam esse, quare
 & ipse sponsorem e carcere dimittere voluerit, liberumque declarare,
 cum & ultimum per solverit dordanem. Sumiter autem tum termi-
 nus Resurrectionis late, ut simul includas ḡωνόμων; nihilominus
 tamen terminus portationis peccatorum ad quem manet triduum
 mortis. Contra reliquas theses objicitur: (I.) Christum & in acerbissi-
 ma passione sua Deum vocare Patrem suum. *Resp.* Bene! Idque argu-
 mentum est, Christum & in acerbissima passione non desperasse; sed
 fortissime sustinuisse omnia. Nihilominus tamen Deus Pater ut se-
 verissimus hic judex aspiciendus est, cui & hæc obedientia sua summa
 satisfacere voluit. *Objic.* (II.) Insolitum & durum esse, Filium Dei
 abominabilem, execrabilem, & sic porro vocari. *Resp.* Hoc dubium
 jam suo tempore solvit *B. Lutherus* noster in *cap. 3. Ep. ad Gal.*
Tom. 6. Altenb. p. 498. Möcht aber althie einer sagen, es reime sich
 übel, sey auch schmählich, daß man Gottes Sohn soll einen Sün-
 der und Fluch heissen. Darauf antworte ich, und sage also: Wilt
 du nicht bekennen, daß er ein Sünder und Fluch sey, so musst du auch
 nicht sagen, daß er gelitten habe, gecreuzigt und gestorben sey ic.
 Pariter & *B. Dorsheus* idem dubium *I. c. p. 263.* jam solvit, distin-
 guendo inter Christum absolute, & in relatione illa spectatum, quam
 jam supra ostendimus. Qua ratione facillime conciliantur omnia.

F 2

Qu.

Q. XIII.

AN, ET QUOMODO HIRCUS ILLE EMISSA-
RIUS FUERIT TYPUS CHRISTI?

§. I.

Provocavimus in prioribus inter alia quoque ad hunc typum, merito ergo argumentum hoc corroborandum erit, imprimis cum & hic ex Recentioribus Exteris dentur, qui enervare illud conantur. Hircum enim hunc typum aliquem Christi fuisse penitus negat *Johannes Spencerus* in *tr. de Legibus Hebreorum Ritual.* Ubi *l. 3. Dissert. 8. c. 9. p. m. 482. sqq.* sensum mysticum, qui hic ab interpretibus eruitur, *meram conjecturam & ingenii lusum* vocat; & tribus aliis de caufis ritum hunc a DEO institutum fuisse docet: *Prima* est, quod DEUS hoc instituto ad increduli & puerilis ingenii populum se ipsum indulgenter accommodaverit, Israelitas nempe suspiciosos peccatorum suorum reatum ab hirco maestato, pecnam ab hirco dimisso longe remotam videre cupisse, nec urgente peccato conscientia se tutos a peccatis suis existimasse, nisi ea semel atque iterum expiata cernerent. *Altera* causa *Spenceri* est, expiationem Hirco maestato simul & emissio praestitam esse forsan, ut inde virtus & integritas ejus Israelitis innotesceret. *Tertia* denique causa ipsi haec est, quod nimis moribus superstitionis tum temporis inter gentes invalescentibus Deus gentibus sese opposuerit. Ex iis enim nonnullos capros divinis honoribus affecisse, eorumque maestationem piaculi instar habuisse; Alios autem capros elegisse, in quorum capita mala, quae timebant omnia votis solennibus averterentur. Quare etiam idem *Spencerus* nullum hic typum Christi agnoscens *l. c. c. 6. p. 471. sq.* ritum hunc ex aliis Gentibus antiquis ad Hebreos derivatum elicere conatur in primis ex iis, quae crediderunt, duos esse Deos quasi contrariis arribus deditos, ut hic bona, alter mala opera conficiat, adeo ut necesse haberent ritus piaculares non tantum ad boni sed & maligni Numinis iram placandam & avertendam exerceri. Quemadmodum idem quoque tueatur *Job. Marsham. Anglus Eques auratus in Canone Chron. Egypt. Hebreico graco Sec. 9. p. m. 206.* ubi ex illo antiquo Ægyptiorum more ritum hunc deducere voluit, quando nimis Typhonem in quibusdam festis

festis deprimere, & contumeliis afficere solebant rufos homines probris
 insectantes & asinum precipitem dejicientes, quia Typhon rufus erat,
 & asini coloris. Contra quæ asserta vide Hermann. Wits. in *Egyptiac.* l. 2. c. 9. p. m. 119. sqq. & Jo. van der Waeyen in *Variis Sacris*
 p. m. 576. sq. Eandem ob causam ut typus Christi saltem hic evertatur,
 Spencerus l. c. c. 1. & 2. simul docuit, *Azazelem* significare *Diabolum*, hircumque huncce eidem cessisse, non quidem oblationis loco, sed anathematis. Quam sententiam & jam antea fovit in Belgio Jo.
Coccejus in *observat. in Levit. Tom. 1. opp. p. m. 178.* & in *Explic. Ep. ad Hebr. T. 5. opp. p. m. 564.* Quem discipuli ejusdem sequuntur v.g.
Wilhelm Momma in Oecon. Temp. Tom. prior l. 2. c. 11. p. m. 205. Ja-
 cob. Rhenferd. in *Comparat. Expiat. Anniv. cum Unica Expiat. Christ. Codici Joma a Sheringham Ann. 1696. edito annex.* n. 60, p. m. 135. Jo.
 van der Waeyen in *dissertat. de Hirco Azazel n. 104. sqq.* & in *Spenceri*
dissertat. de Hirco Azazel excussa n. 740. sqq. in *Variis Sacris* p. m. 185.
 sqq. & 556. sq. Idem quoque probat Herm. Witsius in *Oecon. fæd.*
 l. 4. c. 6. n. 53. p. m. 506. sq. Quibus autem omnibus in Belgio sese
 opposuerunt Steph. le Moyne in *Notis ad varia Sacra p. m. 648. sqq.*
 Jo. Clericus in *Comment. in Levit. p. m. 238.* aliisque. In Anglia quoque
 eandem sententiam rejicit Sam. Bochart. in *Hierozoico part. prior. l. 2.*
 c. 54. p. m. 653. Ii autem, qui typum Christi in hoc ritu admittunt,
 iterum in varias abeunt sententias. Job. Coccejus duplēm hic vide-
 tur statuere typum. Sic enim putat, initio hunc hircum præfigurasse
 Christum, ejusque traditionem in manu Diaboli habentis imperium
 mortis ad ipsum exagitandum: deinde vero & immorigeros Judæos,
 qui pro tempore facti sint exemplum divinæ severitatis. vid. *Cocceji*
Explicat. Ep. ad Hebr. c. 9. Tom. 5. opp. p. 565. col. b. Quem sequun-
 tur *Momma l. c. p. 205. sq.* Jacob. Rhenferd. l. c. n. 61. sqq. p. 135. sqq.
 Postremum typum potissimum urget Jo. van der Waeyen *dissert. de Hirco Azaz. n. 136. sqq.* in *Var. Sacr. p. 197. sqq.* docens typum hunc
 fuisse horrendi illius olim infligendi Judaicæ Genti Judicii & Israelis
 secundum carnem in peccatis mortui, adeoque Diabolo Adsadseli seu
 Sammaeli, aut quoctunque indigitetur nomine, prædam cedentis.
 Cui sententia contradicit Herm. Wits. in *Oecon. fæd. l. 4. c. 6. n. 63.*
 p. m. 510. sqq. contratyrum in eo potissimum querens, quod Christus

F 3

Diabo-

Diabolo in locis solitariis plurimum agenti vexandus exponi debuerit. *Samuel Bochart. l.c. p. 660.* putat, ut maestatus hircus fuit typus Christi in cruce sublati, ita hircum hunc emissarium fuisse typum Christi redivivi. *Stephanus le Moyne l.c. p. 644.* putat, hircum maestatum præfigurasse Christum Satisfacientem pro Judæis, hircum autem emissarium præfigurasse eundem Satisfacientem pro gentilibus. *Job. Clericus l.c. p. 239. sq.* typum in eo querit, æque ut in ave viva dimissa in mundatione leprosi, quasi avolando auferret omnem ejus immundiciem: sed Socinianis hypothesis indulgere vilis nullam hic Christi tanquam veri Satisfactoris mentionem facit.

§. II. Prænotamus nos (1) sermonem esse non de ritu quodam plane heterogeneo forte apud alias gentes usitato, vel a Judæis mutuo accepto & mutilato; sed de ritu hocce genuine a Mose descripto. (2) Sermonem esse de Hirco emissario quoad id, in quo typus Christi fuit; non & quoad reliqua hue non spectantia: novimus enim, interdum plus esse in typo, quam in antitypo, & vice versa? (3) Quæri de typo Christi non saltem *in genere*; verum & *in specie*, & in quoniam potissimum typi ratio constituerit. (4) Quæri de typo non *illato*, sed *innato*. (5) Sermonem nobis esse de typo *innato* non quidem *expresso* & *explicito*; tamen *tacito*, & *implicito*, vid. *B. Gläss. in Philol. S. 1. 2. part. 1. tr. 2. sect. 4. art. 5. p. m. 325.* Quibus prænotatis dicimus: (I.) *Hircus ille Emissarius omnino fuit typus Christi.* Prob. (1) a clarissimo satis Scripturæ indicio. Licet enim Scriptura quidem tam expresse typum hunc non insinuet ut in serpente æneo, Jona, aliquæ quibusdam, implicite tamen omnino id videre est ex *Job. I. 29. 1. Petr. II. 24. Hebr. cap. IX. 12.* (2) Quia tota illa ceremonia magni illius diei expiationis *Levit. XVI.* descripta fuit typica Christi, uti satis videre est ex *Hebr. cap. IX. tot.* E. omnino & Hirco hic Emissarius potior quædam pars ceremoniæ hujus, typus quidam Christi debuit fuisse. (3) Agnoverunt id etiam pii veteres, imprimis *Justin. Martyr. in Dialog. cum Tryph. p. m. 259. Cyrill. Alexandrin. l. 9. contr. Julian. Tom. 3. opp. p. m. 208. sqq. Augustin. l. 18. contr. Faust. Manich. c. 6. Tom. 6. opp. p. m. 340.* aliisque typum Christi omnino hic admittentes. Dicimus: (II.) *Speciatim Hircus hic typus fuit Satisfactionis & expiationis Christi.* Prob. (1) ex ipso clarissimo Scripturæ indicio in locis

locis allegatis, in quibus Christi portantis peccata nostra, item redemtionis ejusdem fit mentio. Omnino ergo hæc omnia præfiguravit hircus hicce emissarius. (2) Ex ratione dici illius expiationis. Quo omnis eo tendebant, ut expiarentur peccata populi, cuius gratia & hircus hicce bajulans totius populi peccata dimittebatur in desertum: ita & Christus portare debuit peccata nostra. *Jes. LIII, 5. 7.* (3) Quia typi & antitypi omnino elegantissima speciatum in hoc capite datur ratio. Quam prolixius exponunt *B. Chytraeus in Comment. in Levit. cap. XVI, B. Calov. in Bibl. Illustr. in eundem locum, B. Pfeiffer. in Dub. Venet. p. m. 262. sqq. Dn. D. Hochstetter in Exerc. de Hirco Azazel. Tubing. Ann. 1707. hab. sect. 2. p. 21. sqq.* aliquæ ex Nostratibus passim. Dicimus: (III) Ritus hicce non ab aliis gentibus derivatus est ad Judeos, sed bisce primitus omnino peculiari sicut. Prob. (1) Quia expressie Moses dicuntur omnia in monte accepisse ab ipso DEO, *Exod. XXV, 9.* Quod certe supervacaneum fuisset, si ad imitationem aliarum gentium hunc cultum DEUS voluisse institui. (2) Quia DEUS per leges suas sanctissimas præscriptas populum suum a cultu Ægyptiorum aliarumque Gentium avocare voluit, vid. *Levit. XVIII, 3.* non ergo verisimile, quod ex ipso cultu hoc gentilium ceremonia hæcce fuerit desumpta. (3) Quia tota ceremonia hæc fuit typica, satisfactionem Christi pro peccatis nostris præfigurans, quomodo ergo ex cultu idololatrico gentilium poterit desumi, cum diabolus quidem sit simia DEI, non autem contra, ut revera ex hypothesi Marshamio - Spenceriana non sine magna blasphemia sequeretur. (4) Quia ante Mosen nulla vestigia hujus ritus apud alias gentes reperiuntur. (5) Omnia falsa nintuntur hypothesi, quasi omnes leges rituales ab aliis gentibus ad Judeos derivatae fuerint. De qua alibi. Dicimus (IV.) *Neque cessit hircus hicce diabolo.* Prob. (1) Quia nullibi in toto S. Codice diaboli hic sit mentio. (2) Quia vi oppositionis, quam alias tam stricte observare volunt Adversarii, omnino sequeretur, hircum hunc ipsi diabolo fuisse sacrum, quicquid etiam contra protestentur, consequentia enim est inevitabilis, res ipsa vero in se absurdissima. (3) Quia hircus emissarius æque ac alter ille maestandus DEO fuit sacer, vi clarissimæ Literæ, *Levit. XVI, 5.* *לְחַטָּאת in Sacrificium pro peccato.* (4) Quia hircus typus hic fuit Christi portantis peccata nostra, & pro

pro iis satisfacientis DEO, non ergo commode Diabolo cessisse dici poterit. (5) Quia contraria sententia primam originem debet miris commentis Rabbinorum. Et (6) Atheis ac Empæctis nonnisi illudendi occasionem præbet, ut ex exemplo *Juliani Apostatae* videre est, contra quem hic vide *Cyrillum l.c.* Quibus observatis facile ruent omnes reliqui typi hujus asserti modi, qui cum iis, quæ prævio ipso S. Codice adduximus, conciliari nequeunt.

§. III. Contra *thesin primam & secundam objic.* (I.) Deum hoc ritu accommodasse se saltem ad ingenium populi incredulum & puerile, quo se eo melius a peccatis suis tutum existimaret, nullam ergo rationem typi hic fuisse. *Resp.* (1) Dicuntur omnia, nihil probatur. (2) Quomodo in solo hoc ritu populus se tutum a peccatis existimare potuerit, si ad nihil aliud quid in eodem respexerint, non video. Agnoverunt utique Judæi per nudum hominem, multo minus per bestiam quandam nudam, expiationem peccati & redemptionem fieri non posse, *Pf. XLIX, 8. 9. 10.* Si ergo tuti hic voluerunt esse, omnino respicere simul debuerunt in hoc ritu ad illum, qui cum solatio quadam animæ peccata nostra portat, arque ille solus erat *Messias, Jef. LIII, 5.* per hunc hircum præfiguratus. *Objic.* (II.) Hoc ritu Deum populum suum ab aliis aliarum gentium superstitiosis ritibus avocare saltem voluisse, adeoque lusum saltem ingenii esse, hic typum quærere. *Resp.* Et hæc saltem dicuntur, non autem probantur. Et contra potius ad oculum est, Deum his ritibus a se præscriptis non saltem ab aliis ritibus idololatricis, & ab ἑθελοθεραίᾳ populum suum avocare voluisse; sed contra etiam ad verum illum Dei cultum, eumque, in quo unice omnis noster cultus Deo placet, quique per satisfactionem suam infinitam unice nos Deo acceptos reddit, promissum illum mundi Messiam revocasse. Contra *thesin tertiam objic.* (I.) Vestigia apud Ægyptios hic adesse in deprimendo scil. Typhone. *Resp.* Quilibet hic videt, plane nullam esse hirci & asini analogiam. Sic & hircum illum emissarium ad exemplum asini Ægyptiaci de rupe præcipitem fuisse dejectum vi legis Mosaicæ, plane fallsum est, cum de eo in lege Moses ne litera quidem legatur. Evidem in *Talmud. Cod. Joma c. 6.* de hac dejectione statutum aliquod legitur. Sed recte observat *Rob. Sheringham in annot. ad hunc Codicem p.m. 72.* non fuisse hoc man-
datum

datum DEI, sed statutum saltē Rabbinorum. Conf. & Sam. Bon. Disp. IV.
 chart. l. c. p. m. 659 sq. Objic. (II.) LXX. Interpp. in sua Versione Le-
 vit. XVI, & in denominatione hujus hirci tali usos fuisse vocabulo, CHRIST.
 quod merum Gentilium oleat, similes voces & apud Josephum PETR. RI-
 legi. Resp. Cum LXX. pariter & Josephus longe juniores sint, qui ergo CHERTZ.
 ex eorum auctoritate probari poterit antiquitas hujus ritus, jam ante Altona-
 Mosen ab aliis gentibus observati; & cur non potius afferendum, gen-
 tiles sua suffuratos fuisse ab Hebreis? Deinde adhuc sub Judice lis est:
 an haec τῶν LXX. Versio genuina sit, accurata & proba? Denique quic-
 quid etiam sit, nihil horum præjudicare poterit veritati celesti. Con-
 tra thesin quintam objic. (I.) diabolum a Judeis ita vocari Azazelem.
 Resp. (i) Non perpetuus hic est Judæorum consensus. Judæis enim
 merito Judæi opponuntur. Deinde quis nescit Judæorum commenta
 ac fabulas? vid. bic Bochart l. c. & Anton. van Dale de Orig. ac Pro-
 gress. Idololatr. c. 6. p. m. 117. sqq. Tandem & Diabolum sic vocatum es-
 se Azazelem, non adeo evictum est. Contrarium probat Steph. le Moy-
 ne in Notis ad Var. Sacr. p. m. 649. sq. nempe diabolum aliquem non
 Azazel, nec Azalzel, sed שָׂאֵל Asaalem Judæis, speciatim Jacobo ap-
 pellatum fuisse. Obj. (II.) Alterum hircum dici cessisse לְיוֹתָה ut per-
 sonæ, ex quo colligitur, sic & לְשָׂאֵל vi oppositionis itidem aliquem
 denotare, cui alter ille hircus cesserit. Resp. Nec hoc aliquid probat.
 Quomodo enim exinde necessario sequitur, hircum hunc cessisse dia-
 bolo? Cur non itidem DEO, alio nunc nomine expresso, ut le Moyne
 l. c. vult? Cur non loco, ut alii defendant? Cur non ipsi hirco, vel
 alii substrato subiecto, licet ob difficultatem vocabuli occurrentis
 incognito, ut aliis placet? cur præcise diabolo? Conf. & Jacob Gus-
 set. in Comment. Lingv. Ebr. p. m. 596. Objic. (III.) Vocabulum Aza-
 zel quam optime convenire diabolo, a DEO enim discessisse, sicque
 divino Judicio dimissum eundem fuisse. Resp. (i) Nec in hoc ro-
 boris quid reperitur. Quid namque respondebant hi Stephano le
 Moyne, qui l. c. p. 654. sq. nomen hoc per usitatam literarum transpo-
 sitionem ipsi DEO vindicavit, qui vocatus fuerit Azazel שָׂאֵל. Sic
 enim ulterius docet, DEUM fortissimum saepè vocari שָׂרֵב robur &
 potentiam suorum, unde etiam fluxerit vox Αγελος, quo nomine
 Mars olim designatus fuerit apud Eumenenos, quasi DEUS fortis-
 simus & potentissimus, sic ergo DEUM vocari Azazel, sicut vocabatur

TOM. III.

G

etiam

etiam אל בָּרִא. Hircos ergo immolatos & oblatos in honorem solius DEI, unum maestatum יהוָה, alterum oblatum לְעַזָּאֵל vel לְעַזָּאֵל. Sic *Le Moyne* quidem nomen hoc exposuit. Quibuscum ferme conveniunt, quæ Ducatus nostri Vir quidam admodum Rev. longeque Doctissimus, Fautor ac Amicus noster summopere colendus, (vi hypotheseos suæ, qua putat, Gentiles per *Anagrammatismum* quendam pleraque sacra in suas convertisse fabulas) in MSto quodam de *Pan.* *s.*
Hirco Azazel benevole nobis communicato, perquam ingeniosissime docer, Gentiles nempe *Azazelem* hircum transmutasse per *Anagrammatismum* suum in *Pancem*. Panj quippe dabatur nomen Σκολίτης *Scolita*, ut habet *Pausam in Arcad.* Per Methathelin ex *Scolites* fit *Ostsel*, quod ipsissimum nomen *Azazel*. Nomen *Pan* autem videtur ipsi latere *Levit. XVI.* ubi toties, varia tamen forma occurrit vox דְּבָרֶת. Ex quo colligit, Gentiles intellexisse שׁׂן אל DEUM roboretum, vel formam & excelsum, unde per *Synechdochēn facies DEI* pro ipso DEO ponitur. Quæ aliaque minima probabilitatem invenient fidem, quam ea, quæ de diabolo hic plane sine omni fundamento singuntur. (2) Novimus, quam infirma sint argumenta ab etymologia desumpta. Imo & ne sic quidem ratio derivationis diabolo commode convenit. Scriptura enim non dimissionis, sed duriori adhuc hic utitur vocabulo.
z. Petr. II, 4. Quid? quod accurate loquendo diabolus ne quidem dimissus fuerit. Dimissus enim proprie non fuit, sua qui culpa in foveam cecidit. *Conf. Job. VIII, 44.* *Objic.* (IV.) Propterea cessisse hircum hunc diabolo, ut præfiguraretur traditio Christi in manum diaboli, habentis imperium mortis ad ipsum exagitandum. *Resp.* In hoc nec unice nec primario consistit portatio peccatorum nostrorum, adeoque nec potior est typi ratio, nec propterea dei poterit hircus cessisse diabolo. Maximum potius erat, ut læse Justitiae divinæ satisficeret. Quæ satisfactio si non facta fuisset, traditio illa in manum diaboli facta parum, imo nihil præstitteret. Hæc ergo non unice nec primario hic attendi potuit. *Objic.* (V.) Cessisse hunc hircum diabolo, quia typus fuit horrendi illius olim infligendi Judaicæ genti Judicij diabolo in prædam cedentis. *Resp.* Dicuntur hæc, non autem probantur, nec probari poterunt, cum de his omnibus plane nihil habeat Scriptura S. imprimis & si attendatur hypothesis, quæ omnia intunatur, quæ hæc est, soror divina partem honiūum cessisse Christo, par-

tem

tem diabolo, quæque sors de absoluto quodam arcanoque DEI decreto explicatur. Quæ autem absurdia omnia. Plura hic contra Jo. van der Waejen vide ap. Dn. Hochstetter l.c. p. 28. sqq.

Qu. XIV.

AN CHRISTUS ETIAM SATISFECERIT PRO
FIDELIUM MORTE TEMPORALI?

§. I.

Negavit id ante aliquot annos in *Belgio Hermann Alexander. Roell in Dissert. de Generat. Filii & de morte temporali fidelium.* Ubi statuit, mortem temporalem Fidelium esse vere & proprie dictam penam peccati, qua satisfiat DEI Justitiae, hinc Christum non ita plene Deo satisfecisse, ut etiam satisficerit pro morte temporali. *Roellio* huic sece opposuit Collega ipsius *Vitrunga*, item & hypothesin hanc notavit, licet non nominato Auctore, *Frid. Spanhem. in Elencho Controv. p. m. 672. seq.* conf. & adversus hanc hypothesin Maxime Rev. Dn. D. Niebenck in disp. supra jam laudata de Christo qu. 3.

§. II. Prænotamus nos (1) sermonem esse de morte non spirituali nec eterna; sed temporali, quæ est separatio animæ & corporis, (2) sermonem esse de morte temporali, ut quidem *Roellius* vult, potissimum respectu fidelium. (3) Distinctv. inter mortem, prouti est *Janua ad vitam*, vel *paterna quedam castigatio*: & quatenus est *pœna peccati*, de hac queritur. Quibus prænotatis dicimus: *Omnino & pro morte Fidelium, quatenus est pœna peccati, satisfecit Christus.* Prob. (1) Quia Christus non tantum pro omnibus peccatis nostris, sed etiam pro omnibus peccatorum nostrorum pœnis quam maxime plenarie satisfecit *Jes. LIII, 5. Gal. III, 13. 1. Theff. I, 10. &c.* (2) quia & in specie a morte temporali, quatenus nimur peccati pœna est, dicimur redimenti *Hof. XIII, 14. coll. cum 1. Cor. XV, 54. 56. Hebr. II, 14.* Quæ loca Theologi non tantum de morte eterna; sed & de temporali, quatenus illa peccati pœna est, explicare solent. (3) Quia sententia *Roelli* revera sapit Socinismum, dum concludit ex eo, quod fideles adhuc varias calamitates, & ipsam mortem sustinere debeant, homines a Christo non plenarie esse redemptos. Contra quæ asserta autem vide Systemata Nostratium passim.

G 2

§. III.

§. III. Objicitur potissimum hocce: mortem esse partem *uxorizas* & stipendium peccati *Rom. VI, 23.* cum ergo nunc fideles quoque mortem debeat sustinere, hinc sequi, illos ab eadem non esse redemptos a Christo. Resp. Mors temporalis, prouti & fideles eandem adhuc sustinere debent, non est pœna; sed habet potius ex instituto DEI rationem medii ad glorificationem & ad vitam æternam ducentis, h. e. veluti porta est & janua, per quam in æternæ beatitudinis domicilium ingrediuntur fideles demortui. Unde &, qui credit in Christum, dicitur non mori, etiamsi moriatur *Job. XI, 25. sqq.* nempe non mori morte quoque temporali, quatenus est pœna; sed quatenus est ex ordinazione divina medium illud, ut modo jam diximus, vid. *R. Hunn. in Comment. in Job. in b. l.* Si vero etiam molesti quid hic sit in morte, non tam est pœna proprie sic dicta, quam potius paterna quædam castigatio.

Qu. XV.

NUM CHRISTUS RÉDEMPTIONE SUA ALIUD, QUAM IMMORTALITATEM NOBIS ACQUISIVERIT?

§. I.

Affirmavit id quondam *Thomas Hobbes in Leviath. c. 38. p. m. 209.* Contra quem vide *Jo. Templer in Idea Theolog. Leviath. dogm. 23. p. m. 145. sqq.* Illud ipsum Hobbesii dogma non ita pridem in Anglia recoquere ausus est auctor tractatus Anglicani *The Reasonableness of Christianitatis as delivered in the Scriptures*, qui auctor est *Lockius*, qui ibidem p. m. 9. & p. 203 seqq. docet, cum mors temporalis saltem per Adamum in posteros fuerit derivata, nec etiam aliam vitam per Christum suisse restauratam, quam illam, quæ post resurrectionem nobis reddetur, quamque, nisi peccatum Adami intercessisset, sine interruptione continuaturi fuissimus. Adeoque Christi redemptione eautum saltem esse docet, ne al quis, qui Justitia perfecta obediens DEO sese in hac vita probaverit, siveque jus ad immortalitatem consecutus fuerit, ideo eo carere cogatur, quod ex mortali Adami progenie oriundus sit. Atque hinc etiam porro addit, Jesum Christum Filium DEI proprie vocari in Virginis utero immediata Dei potentia formatum, quia ut Filius Patris instar immortaliter gavifus fuerit. Merito auctorem hunc ex hoc capite, & quod Satisfactionis Christi mentionem non faciat, Socinianismi accusavit in Anglia

glia Jo. Eduard. in tr. sub titulo: *Some Thoughtis concerning the several Causes and Occasions of Atheism, especialli in the present Age.* pag. 112.
 Contra quem se se defendit Lockius in *a Vindication of the Reasonableness of Christianitij.* p. m. 22. sqq. Sed & ad haec respondeat Dn. Eduard, qui Anno 1696. edidit *Socinianism unmask'd*, vid. c. 7 p. m. 94. sqq. Lockius autem denuo se se defendit in *a Second vindication of the Reasonableness of Christianitij.* Lond. Anno 1697. edit. p. m. 378. sq. ubivis autem de Satisfactione IESu Christi minus sobrie sentiens.

§. II. Prænotamus nos (1) Sermonem esse de objecto redemptio-
 nis Christi reali, & quidem quam maxime primario. (2) Non tam
 esse sermonem de immortalitate gloriofa, quam de immortalitate us-
 sic. Hinc jam dicimus: *Christum redēptione sua non nudam saltē
 immortalitatem; sed omnino longe excellētiora adhuc bona nobis est
 promeritus.* Prob. (1) Quia immortalitas ut sic omnino etiam fuisset,
 etiamsi Christus nos non redemisset Ps. XLIX, 15. quemadmodum &
 per lapsum Adami non saltē mors temporalis, sed & quam maxime
 æternā fuit introducta, ut supra contra *Lockium* satis jam probatum
 dedimus. (2) Quia Scriptura S. expresse & dona alia quædam longe
 eminentissima merito Christi tribuit, sine quibus nempe immor-
 talitas illa non poterit esse beata. Qualia e. g. sunt gratia DEI, re-
 missio peccatorum, Justitia quæ coram DEO valet, Spiritus S. & ipsa
 gloria vitæ æternæ &c. Ies. XLIII, 25. Hof. XIII, 14. Ps. LXVIII, 19.
Ephes. I, 6. Rom. III, 25. c. VIII, 15. 17. 1. Cor. I, 30. &c. (3) Quia
 contraria sententia totum Satisfactionis negotium revera vel penitus
 tollit, vel nimis admodum extenuat, quemadmodum ipsum peccatum
 quoque nimis valde extenuat. Quæ vero omnia in Orthodoxa Ec-
 clesia nequaquam toleranda sunt.

§. III. Objic. (I.) Immortalitatem partem fuisse imaginis divi-
 nae redemptis per Christum restitutæ. Resp. Immortalitatem etiam ad
 imaginem DEI spectasse, non negamus; verum non erat perfectio
 principalis, primaria ac unica; Sed saltē minus principalis quadam;
 quæ longe eminentiora adhuc dona utique præsupponebat, ut in Art.
 de Imagine Dei docetur. E. nec etiam immortalitas principale & uni-
 cum illud bonum fuit, quod Christus redēptione sua nobis promer-
 tus est. Objic. (II.) Id quod Adamus perdidit, Christum credentibus
 denuo acquisivisse; sed Adamum perditissimam vitam æternam solam in

vita terrestri. E. *Resp.* Solam immortalitatem terrestrem Adamum perdidisse negamus & pernegamus. Contrarium ex loco de Peccato constabit. *Objic.* (III.) Christum Filium DEI vocari imaginem DEI invisibilis *Coloss. I, 15.* & quia primogenitus ex mortuis, adeoque & nobis immortalitatem potissimum acquisivisse. *Resp.* (1) Negamus absolute, Christum unice propter immortalitatem vocari Filium Dei & imaginem Patris: Sed potissimum & primario sic dicitur ratione generationis factæ ab æterno *Psi. II, 7.* (2) Christum & immortalitatem nobis meruisse utique nos non negamus; imprimis si de glorioſa fermo sit *Phil. III, 21.* At vero si de immortalitate ut sic fermo sit, omnino negamus.

Qu. XVI.

AN REDEMTO CHRISTI SALTEM IN EO CONSISTAT, QUOD JAM IN PARADISO MOVERIT DIVINITATEM AD VENIAM DANDAM?

S. I.

Est hoc dogma *Petri Poiret in Oeconom. I. 3. c. 5.* Ubi totum Redemptionis Opus ita describit: *DEUS sive Filius DEI Filius Adami & hominum omnium, qui ex Adamo nasci debebant frater factus fuerat, assumptis nimirum jam inde ab initio ex primo hoc homine tum anima tum corpore, quo cum hominibus conversaretur per organum Sacrarissima sive humanitatis, que veluti tribulus quidam erat, ac canalis divinarum gratiarum.* Hic ergo *DEUS ipissimus est Liberator, cuius humanitas se totum corpus, & animam obtulit, ut Divinitatem moveret, ut cooperationem hominis deficientem suppleret, ut demeriti ejus veniam obtaineret, utque gratiam atque omnia ad hominis reparationem necessaria impetraret, atque per ejusdem interventionem ac meritum infinitum divinitas commoveri se passa est, datura propter eam omnia, que ipse pro homine efflagitavit.* Ex quibus ergo satis constat, hanc *Poireti esse sententiam, nimirum jam in Paradiſo opus reparationis nostræ a Christo Θεονθεωπῳ fuisse peractum, & potissimum in eo consistere, ut moveret Divinitatem tum ad veniam dandam, tum ad gratias conferendas reparationi necessarias.* Refutavit *Poiretum admodum solide Dn. D. Jäger in Exam. Theolog. Nove Controvers. 19. p. m. 245.* ubi

ubi & simul reliqua, quæ Poiretus cum Socinianis communia haberet, perquam sufficienter sunt discussa.

§. II. Prænotamus nos (1) non quæri: annon etiam DEUS com-motus fuerit ad veniam per Christum? Sed partim, num *unice & for-maliter* in hac commotione totum illud redēmptionis opus consistat? partim, num jam in paradiso a Christo Θεονθέωπω in assumta huma-nitate illud fuerit peractum? (2) Non esse sermonem de *fructu & me-rito*, ejusque *valore*, sed de ipso Satisfactionis ac Redēmptionis *actu* in tempore a Christo præstito. Quibus prænotatis dicimus: (1) *Satisfactio & Redēmptionis Christi non consistit tantum in Compāssione quadam ac intercessione, qua Divinitas ad veniam dandam sit commota*. Prob. (1) ab expressa Scripturæ S. litera, quæ longe aliter totum Satisfactionis & Redēmptionis opus describit. Sic namque juxta Scripturam satisfecit Christus pro nobis non nude orando, vel intercedendo: Sed peccata nostra portando, & pretium aliquod infinitum sanguine, morte, ac passione sua exhibendo. Vide loca clarissimo *Ies. LIII, 5. 7. i. Petr. I, 19.* c. II, 24. *Job. I, 29. Hebr. IX, 12. 22. Col. I, 21. 2. Cor. V, 21. &c.* Quod & ulterius (2) confirmatur ex Sacrificio Christi pro nobis oblato, *Eph. V, 2.* & in tota *Eph. ad Hebr.* descripto, utpote quod non in mera quadam compāssione & intercessione consistere potuit. Quod & porro (3) con-firmanit Sacrificia V. T. quæ typi fuerunt sacrificii hujus offerendi. (4) Quia & Christus plane execratio dicitur pro nobis factus. *Gal. III, 13. Deut. XXI, 23.* Sieque non tanum compāssionem aliquam nobis-cum habuit, sed & loco nostri mortuus est, & acerbissima quævis passus. (5) Quia amor Christi intensissimus causa fuit impellens interna ad suscipiendum officium mediatorum. E. non totum Redēmptionis negotiorum formaliter & totaliter in eo consistit. Ut enim intercessio illa valorem haberet, necesse omnino fuit, ut la se Justitiae divina satisficeret, quod autem non nisi patiendo etiam sanguinem ef-fundendo, & moriendo fieri potuit. Sine sanguine enim nulla est remissio *Hebr. IX, 22.* (6) Quia per contrariam sententiam Redēmptionis & Satisfactionis Christi penitus revertitur, qui articulus tamen maxime fundamentalis est. Dicimus (II, *Redēmptionis hæc in eo quidem sensu, de quo disputatur, non jam in Paradiso facta est.* Prob. (1) Quia non in pa-radiso, sed demum in plenitudine temporis Filius DEI assumit carnem, *Gal. IV, 4.* in qua fuit passus, & Redēmptionis opus con-summa.

summavir. Vide & argumenta, quibus contra absurdam illam *Poireri* sententiam de incarnatione Filii DEI in Paradiso supra jam *cap. de SS. Trinit.* usi fuimus. (3) Quin non in Paradiso, sed expresse in ara crucis Redemptio & Satisfactione pro peccatis nostris est facta. *1 Petr. II, 24.* (3) Quia, si jam in paradiso redemptio hæc in carne Christi fuisset facta, non opus fuisset, ut Christus denuo hoc opus in diebus carnis suæ peregrisset. (4) Quia Christus alias revera bis nos redemisset, semel in Paradiso, & altera vice in diebus carnis suæ. Quod tamen est contra *Hebr. VII, 27.* (5) Quia sic nec opus fuisset typis V. T. utpote qui non jam perfecta, sed peragenda quoad actum feliciter, præfigurabant. *Hebr. X, 1.* (6) Quia contraria sententia omni fundamento est destituta, totique Orthodoxæ Antiquitati est adversa.

§. III. *Objic.* (I.) Impossibile esse, ut pena peccati per surrogationem aut substitutionem alterius aboleatur. *Resp.* Impossibilitatem hanc clare satis tollit Paulus *Rom. VIII, 3.* *Objic.* (II.) Justitiam divinam præcise singula individua respicere, atque retributionem factorum cuivis propriam esse, & inhærentem. *Resp.* Christus hic in fœdere Evangelico spectatur, ut non alias a nobis, sed ut eandem habens naturam, ut caput nostrum. Plura vide ap. *Dn. Jäger. l. c.*

Qu. XVII.

NUM CHRISTUS SALUTIS NOSTRÆ CAUSA SALTEM OCCASIONALIS SIT?

§. I.

Est hoc dogma *Francisc. Malebranchii*, qui *causarum illarum occasionalium* est inventur dans *Traité de la Nature & de la Grace.* Ubi *Discursus 2 part. 1. p. m. 97. sqq.* & dans *premier Eclaircissement ibidem p. m. 259. sqq.* hæc omnia quoque ad Christum applicat, docens, Christum esse scopum omnium, & ab illo, iisque, qui ei tanquam membra capiti uniuntur, omnem gloriam ad Patrem redundare, Deum agere immediate in spiritus & animas, easque modificare, atque sic *veram & propriam causam gratie esse*, Christum vero *meritoriam.* Hinc jam questionem format de Causa, quæ secunda sive *particularis*, aut ut mayult, *occasionalis* vocetur, quæ *Cause*

Cause generalis, de qua in cap. de Gratia egimus, efficaciam applicet & determinet. Hanc neque in Angelis neque in homine, ut nunc post lapsum sese habet, sed in solo Christo statuit reperiri. Operationem autem animæ Christi ita describit, ut notandum dicat, animam Christi non esse infinitam, atque ita non esse omnisciā actualiter, qua de Controversia egimus jam supra qu. 16. Ex quibus jam elicit, desideria animæ Christi generaliter ferri ad corpus suum mysticum Ecclesiæ quam optime constituendum, & quia meritus est, ut preces suæ a Patre cœlesti semper exaudiantur, animam Christi fidelium precibus excitari, ut intercessione sua gratiam his impetraret. Cur vero Christus non efficaciter succurrat unicuique, imo totas nationes negligat, hac similitudine explicat: Considerari scilicet Christum ut architectum qui, dum de extruendo cogitat ædificio, non respicit ad cæmentum, vel tignum particulariter, sed ad formam & pulchritudinem operis in universum, curam vero cæmenti aut tigni unius eujusque tum demum habet, cum id aptat, & ædificio inserit: ita Christum de Ecclesiæ ædificio generatim sollicitum esse, dum omnes ad se venire jubet, at non excipere particulariter, nisi venientes & vigilantes, & horum tentationes scire iisque mederi. Quæ vero ad objectam difficultatem respondet, cur nempe non omnium temptationibus, quas actualiter noverit, particulari & sufficienti gratia, qua vincere queant, consulat, eo tendunt, ut dicat, aut scire Christum, cui non profuturum sit gratiæ suæ auxilium, aut ut hominem non debere esse cordium scrutatorum, nec obligari, ut actualiter cogitet de futuris determinationibus, aut harum revelationem a Patre perat. Contra quæ asserta scripsit Anton. Arnaldus *Reflexions Philosophiques & Theologiqu. sur le Nouveau Système de la Nature & de la Grace Livre 3.*

§. II. Prænotamus nos (1) sermonem esse de Christo cum omni sua satisfactiōne & merito non *ratione sui*, sed *ratione nostri & salutis nostra spectato*. (2) Sermonem esse non de causa quadam *occasionali*, *orthodoxe* forte explicata, quæ revera in effectum influit, atque sic occasionem simul hoc suo influxu alteri præbet, eumque movet efficacissime, aut etiam alterum præparat ad beneficia parta, ex concessis viribus accipienda; sed de *causa occasionali*, in jam adducto sensu explicanda. (3) Sermonem esse de causa salutis non saltem *ratione Ecclesiæ in genere*, sed & *ratione omnium & singulorum hominum*

TOM. III.

H

in

in specie considerata. (4) Sermonem esse non de *eff. & n.*, sic namque lubeater concedimus, salutem actu ipso non in omnibus effici; sed de *affectu*, & operatione tali, per quam omnes & singuli salutem asperi possent, modo non malitiose resisterent. Quibus prænotatis dicimus: (1.) *Christus minus orthodoxe in dicto sensu salutis nostræ causa occasionalis dicitur.* Prob. (1) quia nullibi Scriptura S. sic docet, nec *καὶ τὸ πν̄θεν*, nec *καὶ τὴν διένοιαν*. (2) Quia definitio causæ occasionalis hic plane non quadrat. Sic enim sequeretur, non Christum operari salutem nostram, sed DEUM ad præsentiam Christi; nec Christum velle, quæ vult Pater, sed contra, Patrem tantum velle, quæ vult Christus. Quæ absurdâ omnia, & adversa ipsi Christi effato. *Job. V, 30.* (3) Quia contra potius Christo, tanquam causæ vere agenti & efficienti, salus nostra tribuitur. *Hebr. XII, 2. Job. XV, 1. sqq. c. X, 9. 28. &c.* Quæ certe dicta, imprimis & in sua emphasi considerata, plus omnino dicunt, quam causam occasionalem meraque Christi desideria aut preces. (4) Quia Christus ita influit in salutem nostram, ut non tantum in acquirenda eadem, sed & in applicandis mediis particulariter per Spiritum S. agat, ut jam supra *Cap. de Gratia* contra euidentem *Malebranchium* notavimus. E. rursus falsum, Christum esse saltem meram causam occasionalem, talemque gratiæ distribuendæ causam, ut DEUS nulla particulari voluntate hujus vel illius salutem procurer, sed tantum desideriis & precibus Christi, ut hominis lege generali obstrictus effectum præstet. (5) Quia si causa hæc *occasionalis* in desideriis saltē & præcibus influens ad salutem sufficieret, quid opus fuisset Christi incarnatione, totaque passione? Quippe preces Christi ut veri DEI omnino tantum valitare suissent, quantum meri hominis, pro quibus *Malebranchius* easdem in causa hac occasionali saltē habet. (6) Quia locutio illa *Malebranchiana* in Ecclesia est nova ac inaudita, qua facile carere possumus, quæque ob inseparabiles absurditates lites nonnisi varias movet. Dicimus (II.) *Non saltē in genere salutis Ecclesie, sed & in specie omnium & singulorum hominum in individuo rationem Christus habet.* Prob. (1) quia pro omnibus & singulis vere & proprio Christus satisfecit. De quibus diximus jam supra. (2) Idem constat ex parabola Christi, ejusque explicatione. *Luc. XV, 4. 8. & 10.* (3) Quia & in specie Christus dicitur eorum salutis rationem habuisse, qui frivole rejecerunt hanc ejus gratiam. *Mattb. XXIII, 37.*

§. III.

§. III. Contra *thesin primam Objic.* (I.) Meritum Christi hic non negari; sed utique Christum & causam meritoriam statui, adeoque in doctrina hæc nihil desiderandum esse. *Resp.* Statuitur quidem Christus causa meritoria; sed potissimum respectu sui ipsius, cum docetur, Christum meritum esse, ut preces ipsius occasio gratiae imperrandæ esse possint: Cum tamen Christus sibi nihil, sed omnia nobis promovererit. Deinde & tale statuitur meritum, cuius nullus est effectus, aut non talis, qui tamen juxta scripturam omnino ei competit. *Objic.* (II.) DEUM non decere voluntatibus particularibus singulis momentis agere & variare. E. desideriis Christi salutem nostram adscribendam esse. *Resp.* Dicuntur omnia, nihil probatur, voluntatem autem particularem quoque Dei in negotio salutis humanæ locum habere, Scriptura satis testatur, quæ totum illud unice Deo & Christo, ut causæ particuli & in effectum specialiter quoque influenti, adscribit. Confer jam supra cap. de *Gratia & Electione dicta.* Contra *thesin secundam Objic.* (I.) Animam Christi ut hominis non actualiter scire determinaciones humanarum voluntatum, proptereaque non succurrere unicuique. *Resp.* Absurda omnia, quæ jam supra qu. 6. explosa dedimus. *Objic.* (II.) Ordinem generalem, quem sequitur, non exigere, ut dona sua pro negligentia hominum futura, sed, ut necesse est, & ad suum propositum facit, distribuat, alias enim egredi terminos causæ occasionalis. *Resp.* Cum Christus omnium & singulorum hominum velit salutem, ut suo loco satis superque probatur, utique etiam hic ordo exegit, ut omnibus, licet etiam multis resistentibus, gratia hæc offeratur, cum alias nec voluntas hæc efficax foret, nec homo inexcusabilis.

Qu. XVIII.

NUM CHRISTUS VENERIT, UT DEO PATRI PER
PACTUM NOVUM RESTITUERET REGNUM, QUOD A PO-
PULO IN ELECTIONE SAULIS REJECTUM EST?

§. I.

Thomás Hobbes in *Leviathan c. 41. p. m. 228.* hanc movet quæstionem: *Si Christus, quando in terra versabatur, regnum in hoc mundo non habebat, quæ causa fuit, rogabit aliquis, adventus primi?* Responder autem his verbis: *Venisse, ut DEO Patri per pactum novum restitueret regnum, quod a populo in electione Saulis*

lis rejectum fuerat. Quod ut saceret, oportebat illum manifestum facere, predicando & docendo, quod ipse Messias erat a Prophetis promissus. Itaque & officii Servatoris nostri, dum versatus est in terra, duas saltem constituit partes: alteram nimurum fuisse, ut se Christum esse profiteretur: alteram, ut per doctrinam suam & per operationem miraculorum populo persuaderet, pararetque eum ita vivere, ut digni essent immortalitatis, qua illi, qui in eum crederent, fruituri erant in adventu ejus secundo. Refutavit hic Hobbesum J. Templ. in Idea Theol. Leviath. dogm. 31. p. m. 245. sqq.

§. II. Quid Hobbesius velit, ex ipsis verbis ejusdem modo jamicitatis satis patet. Opponimus autem nos eidem hanc nostram antithesin: *Christus plane non venit, ut DEO Patri per pactum aliquod novum restitueret regnum, quod a populo in electione Saulis rejectum est.* Prob. (1) Quia hic tota Scriptura S. tacet, & nullibi hanc causam adventus Christi indicat, (2) Quia contra potius Scriptura S. indicat hanc adventus ipsius causam, ut nimurum opera diaboli dissolveret 1. Job. III, 8. ut pro peccatis nostris satisfacceret, & quidem pro peccatis totius mundi 1. Job. II, 2. Job. I, 29. ut nos redimeret ab inferno Hos. XIII, 14. ut nos liberaret a lege Gal. IV, 4 a potestate Satanæ Hebr. II, 14. &c. Quæ certe plane non convenienter saltem cum peccato illo, quod Israelitæ in eligendo Rege Saule commiserunt. (3) Quia hoc peccatum saltem fuit populi Israelitici tempore Samuelis commissi; Christus autem non solum pro his Judæis, verum & pro ipsisorum majoribus & posteris, imo & pro gentilibus, pro omnibus & singulis hominibus est mortuus, & sic quoque eorum in gratiam in hunc mundum venit. (4) Quia Regnum Israeliticum erat saltem terrenum & mundanum; Christi autem regnum, quod restituit, non est de hoc mundo Job. XLIX, 30. (5) Quia regnum Israeliticum saltem respiciebat terram Canaan, non sic regnum a Christo restitutum, quo universum respicit orbem. (6) Quia regnum Israeliticum non erat perpetuum; sed penitus abolendum erat: Regnum vero Christi ceu penitus a regno illo terreno diversum est æternum. Quibus observatis facile quoque rejiciuntur *dua illæ partes officii Christi*, utpote que eum Socinianis hypothesis convenientes rotum Satisfactionis Christi negotium facile subruunt. Præterea & officium Christi longe aliter describendum est. Vide Systemata Nostratium passim.

§. III.

§. III. Objicit Hobbes potissimum locum Deut. XIIIX, 18. ex quo evincere conatur, Christum esse regem futurum Mosi similem. *Resp.* (1) ab officio Christi Prophetico, de quo aperte satis in dicto citato agitur, ad Regium N.V.C. (2) Si etiam a regimine Mosis argumentari velis, sequeretur, Christum venisse ad restituendum Regnum aliquod terrenum. Contra quod vero ubivis protestatur Rex noster spiritualis.

Qu. XIX.

NUM CHRISTUS NON SIT INCEPTURUS REGNUM SUUM ANTE RESURRECTIONEM ET DIEM JUDICII?

§. I.

ET hoc affirmat Thomas Hobbes in Leviath. c. 41. p. m. 227. Ubi ita: Quoniam autem Redemptor Ius in Redemtum, antequam pretium solutum sit, nullum habet, manifestum est, Servatorem nostrum ante mortem suam Redemptorum regem non fuisse. Mox addit: Quoniam ergo post hunc mundum mundus futurus ille est, in quo terra nova, & cœli erunt novi, id est, post resurrectionem, manifestum est regnum Christi, ante resurrectionem incepturum non esse. Jam retribuere unicuique secundum opera sua idem est, quod regnum administrare, & propterea Christus regnum exerciturus non est, antequam veniat in gloria Patris, nempe post resurrectionem universalem. Eadem repetit p. 229. ubi ita: Quod attinet ad officium ejus regium, ostensum ante est, regnum ejus incepturum non esse ante diem Judicii. Tunc vero Rex erit, non tantum ut DEUS; sed etiam ut homo virtute patii novi, quod in Baptismo factum est &c. Hobbesio hic se se opposuerunt Jo. Templer. in Idea Theol. Leviath. dogm. 30. p. 238. & Coequius in Hobbesianissimi Anatom. c. 19. n. 16. p. m. 308 sqq.

§. II. Prænotamus nos (1) sermonem esse non de regno gloriae, quod utique non est in hoc mundo; sed de regno quodam alto, v. g. potentia & gratia. (2) Quæri de regno, Christo non tantum ut Deo, sed & ut homini competente. (3) Sermonem esse de regno ipso, non ejusdem modo & qualitate. Quibus prænotatis dicimus: Non demum in resurrectione & die Judicii incipiet regnum Christi, sed & jam in hoc mundo regnum aliquod habet, etiam ut homo, licet id non sit de mundo. Prob. (1) a clarissima Scripturæ S. litera Ps. II, 6. sqq. Ps.

CX, 2. Jes. IX, 6. 7. Jer. XXIII, 5. &c. Quæ loca de regno quodam loquuntur non demum post hunc mundum, sed & jam durante hoc mundo erigendo. (2) Quia & ipsa Ecclesia in his terris sepius vocatur *regnum Christi*. E. jam regnum aliquod Christus habuit & habet adhuc in hoc mundo. (3) Quia ipse Christus expresse testatur, sibi jam datum esse omnem potestatem in cœlo & in terra *Matth. XI, 27. cap. XXVIII, 18.* E. non demum in resurrectione & Die Judicii. Quæ quoque ut homini Christo competit: Juxta humanam enim natum Christo tantum aliquid dari potuit. (4) Quia *Johannes* præcursor Messiae jam suo tempore adnunciavit, appropinquare regnum cœlorum *Matth. III, 2.* (5) Quia Christus die novissimo regnum suum tradet Patri suo *1. Cor. XV, 24. sq.* E. utique jam ante hoc tempus regnum aliquod debuit habuisse.

§. III. *Objic.* (I.) Regnum Christi non esse hujus mundi. *Resp.* Quando dicitur regnum Christi non esse hujus mundi, non est sermo de regni sede, sed de regni Christi modo, qualitate & indole; quale e.g. erat regnum Romanum. A negatione ergo regni alicujus terreni ac corporalis ad negationem quoque regni spiritualis & omnis N. V. C. *Objic.* (II.) Nos quotidie precari: adveniat regnum tuum. Nondum E. illud adesse. *Resp.* In hac petitione intelligimus partim regnum gloriae adhuc utique futurum: partim vero etiam præsens regnum gratiae, ut nimirum & nos digni ejusdem cives siamus, nos in eodem permaneamus, utque sic quoque quotidie illud ad nos veniat, imo ut non saltem ad nos, verum ad alios quoque, jam in hoc mundo viventes adveniat &c. Ex quibus autem plane non sequitur, quod Hobbesius inde elicit. *Objic.* (III.) Christum *Matth. XXIII, 2.* Scribis & Pharisaïs regnum tribuere, non ergo illud Christo competere. *Resp.* Consequentia plane nulla est. Perinde ac si affereres, regem sibi summam potestatem adimere, cum jubet in diplomate, ut magistratibus inferioribus a se constitutis pareant subditi. *Objic.* (IV.) Expresse Christum regnum omne declinasse *Luc. XII, 14. item XXII, 47.* *Resp.* Ab administratione regni mundani negata ad negandum regnum aliquod spirituale N. V. C. *Objic.* (V.) Expresse dici regnum Christi in die resurrectionis & Judicii demum cœpturum esse. *Matth. XIX, 28. c. XVI, 27. Marc. XIII, 26. c. XIV, 63. Luc. XXII, 29. 30.* *Resp.* Sermo hic est de regno gloriae. Sed vero præter illud & alia adhuc Christi regna dari, notissimum est.

Qu. XX.

Qu. XX.

NUM CHRISTUS VERE PROPRIQUE RESURREXERIT?

§. I.

Christum resurrexisse e mortuis, Iudæi, gentiles, aliquae veritatis Christianæ hostes communiter negant. Horum causam ex recentioribus quoque, qui nomen Christianorum professi sunt, egerunt. Speciatim hoc spectat *Bened. Spinoza*, ex Iudeo Christianus, tandemque Atheus factus, qui negavit, resurrectionem Christi veram fuisse. Sic namque loquitur *Ep. 25*. *Fateor, quidem, hanc etiam ab Evangelistis iis narrari circumstantiis, & negare non possumus, ipsos Evangelistas credidisse, Christi corpus resurrexisse, & ad cœlum ascendisse, ut ad DEI dextram federet: & quod ab infidelibus etiam potuisset videri, si una in iis locos ad fuissent, in quibus ipse Christus discipulis apparuit, in quo tamen, salva Evangelii doctrina, poterunt decipi.* Quomodo autem decepti sint, scribit impius ille *Ep. 23*. docens, Christum non nisi allegorice resurrexisse, & omnia, quæ narrant Evangelistæ, non res, sed apparitiones fuisse. *Spinozam* & in hoc capite excusare conatur *Job. Georg. Wachter in Elucidar. Cabalist. c. 5. n. 5. p. m. 78* putans, hac ejusdem doctrina Christianam religionem non everti: *Contra Spinozam* autem hic vide *B. Dn. D. Jo. Georg. Neumann. in Programmat. Acad. n. 21. p. m. 151. sqq. & Bernard. Lamy in Comment. in Harmon. quatuor Evangel. L. 5. c. 41. p. m. 616.*

§. II. Status controversia cum ubivis pateat, statim theses nostras orthodoxas ponimus, dicentes: (1) *Christus omnino vere proprioque, non allegorice resurrexit.* Prob. (1) a clarissima Scripturæ S. litera, a cuius proprietate non est recedendum, imprimis & cum resurrectionem ita describat, ut simul non sine pondere affirat, *comeditse & bibisse Christum cum discipulis, Act. X, 41 Luc. XXIV, 41. sqq. Job. XXI, 5. indicio, non merum aliquod Quidamqua fuisse, unde & expresse vere resurrexisse dicitur. Luc. XXV, 34.* (2) *Quia Christus resurrexit secundum Scripturas. 1. Cor. XV, 3. 4.* Quam vere nunc ergo predicta est Christi passio & mors, tam vere etiam predicta fuit ejus resurrectio. Imo & quam vere Jonas ex ventre ceti prodiit, tam vere etiam prodire debuit Christus ex sepulchro. *Matth. XII, 40.* (3) *Ex tot testibus resurrectionis Christi, qui vere eam contigilie, unanimiter affiruerunt. 1. Cor. XV, 5. sqq.*

Sqq. (4) Quia quam vere nos resurrecti erimus, tam vere etiam Christus resurrexit, dicitur enim primus resurgentium. *Act. XXVI, 23. Col. I, 18.* (5) Quia resurrectionis Christi vita & salutis nostrae causa est. *Rom IV, 25. Job. XI, 25.* Si ergo nunc vere non fuisset facta, qui salutis nostrae possemus esse certi? Dicimus (II.) *Negata veritate Resurrectionis Christi, Christiana religio penitus evertitur.* Prob. (1) a clarissima Scriptura S. litera. *1. Cor. XV, 14. 17. Sqq.* (2) Quia, uti jam dictum, resurrectionis Christi causa salutis nostrae. Quia periclitante & tota religio nostra periclitatur.

§. III. Contra thesin primam objic. (I.) deceptos fuisse discipulos in apparitione Christi, adeoque non vere eum resurrexisse. *Resp.* Impietas haec profertur quidem, sed sine ullo argumento. Contrarium ex modo jam probatis constat. Objic. (II.) Discipulis Christum saltem apparuisse, non aequi aliis, indicio, facile illos decipi potuisse. *Resp.* Non omni populo, sed certis delectis testibus, Christus suscitatus & mortuus apparet saltem voluit. *Act. X, 41.* Quod autem populo omni non apparuerit, inde est, quod expresse id ipse Christus praedixisset *Mattb. XXIII, 39. conf. & qua de ipso praedicta Zach. XII, 10. collat. cum Job. XIX, 37.* Alias adhuc causas vide in Magistri *Dn. D. Jo. Fr. Mayeri, Illustris Pomeranor. Theologi, Programm. Paschali An. 1702.* publicato. Contra thesin secundam objicitur: Errores de carne Christi Spinozæ tanquam neocoverso condonandos esse, sufficere, quod divinitatem Christi illustri quadam confessione professus fuerit. Et Paulum gloriari se *Christum non amplius secundum carnem, sed secundum Spiritum nosse.* Adeoque non posse diei, hac Spinozæ doctrina Religionem Christianam plane everti. *Resp.* (1) tam gravissimus error maxime fundamentalis nemini condonari potest, qui meliorem informationem accipere recusat, imprimis cum jam probatum dederimus, omnino eodem errore omnem religionem Christianam everti. (2) Pauli effatum admodum blasphemie hic applicatur. Carnem enim & resurrectionem Christi nullibi Paulus negavit, neque alium quendam errorem fundamentalis in hac notitia sua fovit: sed juxta carnem Christum non nosse, *2. Cor. V, 16.* est: nihil carnale in Christo querere, quemadmodum *Glossa marginalis* bene explicat: Christum nicht mehr erkennen nach dem Fleisch, ist nichts fleischliches an ihm suchen oder gewarten, wie die Jünger thaten vor dem Leiden, sondern an seinem Worte beginnen, darinnen sie eitel geistliches und ewiges Gut haben.

SOLI DEO GLORIA.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1023489376/phys_0073](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1023489376/phys_0073)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1023489376/phys_0075](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1023489376/phys_0075)

DFG



CAP. XI. DE NOVISSIMIS.

123

ilem tractatum de *revolutione animarum Anno 1690.* ab
in quo 50. & amplius argumentis Pythagoricam istam &
αετεματύχωσιν animarum stabilire conatus est, nempe
nitorum, nisi in fide discesserint, ex uno corpore devolvi
2. distinctis vicibus in hunc mundum renasci, ut satis in-
ris agendi seriā & sufficientem p̄nitentiam ipsis sup-
avit hunc auctorem B. Dn. M. Rostescher in Hendec. Thes.
u anima humana post excessum th. 6. item & ex professo
it Magnif. Dn. D. Jo. Schmidius in disp. inaug. de mul-
tum redditu in corpora Ann. 1699. Lips. hab. Pythagoræ
xcusare quoque voluit Whiteloke Bulstrode auctor *Tra-*
cani: probatio transmigrationis in defens. Pythag. An-
din. edit.

tatus Controversia satis superque jamjam patet, hinc sta-
: *transmigratio illa animarum purum pulum est figmen-*
ticum. Prob. (1) Quia nec Scriptura S. nec sana ratio ul-
argumentum pro transmigratione hac præbet. (2) Quia
contra Scripturam, quæ testatur, animam statim post di-
rporibus vel ad beatitudinem cœlestem devenire, vel ad
ciatus, uti ex exemplo Lazari & divitis epulonis est ad
XVI. Confer & alia argumenta, quæ hic a Theologis
a Socinianos urgeri solent. (3) Est etiam contra rectam
Quodlibet enim corpus suam debet habere formam, quæ
dem est, a quo est corpus, nempe a propriis parentibus.
et transmigrarent, formæ hæ aliunde venirent. (4) Quia
idem numero homo resurget, ut rursus contra Socinia-
a passim probant. Jam vero si animæ transmigrarent in
ra, necessario sequeretur, plura futura esse corpora, quam
nt. Quod tamen absurdum. (5) Si animæ impiorum
migrarent, sequeretur, numerum damnatorum in extremo
futurum non esse. Quod autem est contra expressam
literam.

Plurima auctor ille *Anonymous* pro absurdissimo suo
oppositi argumenta, quæ autem omnia plane nullius fun-

Q 2

ponde-